

DOCTORIS SUBTILIS ET MARIANI
B. IOANNIS DUNS SCOTI
ORDINIS FRATRUM MINORUM
OPERA OMNIA

IUSSU ET AUCTORITATE
RMI P. IOSEPHI RODRIGUEZ CARBALLO


TOTIUS ORDINIS FRATRUM MINORUM MINISTRI GENERALIS

STUDIO ET CURA COMMISSIONIS SCOTISTICAE
AD FIDEM CODICUM EDITA

PRAESIDE
P. BARNABA HECHICH

SOCIIS
PP: BENEDICTO HUCULAK, IOSEPHO PERCAN, SATURNINO RUIZ DE LOIZAGA,
CAESARE SACO ALARCÓN

XXI



Pro huius editionis voluminibus acquirendis
petitiones mittantur ad

© 2004 Frati Editori di Quaracchi
Fondazione Collegio San Bonaventura
00046 Grottaferrata (Roma)
Via Vecchia per Marino, 28-30
<http://quaracchi.ofm.org>
E-mail: quaracchi@ofm.org

ISBN 88-7013-321-4

PROPRIETAS LITTERARIA

CIVITAS VATICANA

TYPIS VATICANIS
MMIV

B
765
D 7
195
v. 2
Gro
plu
spe
coll

habet fidem, qui credit intelligendo articulos implicite; ille vero scientiam, qui novit articulos defendere. Et in patria intellectus dicitur visio divinae essentiae, scientia est cognitio articulorum in Verbo: intelligit sibi credens praesentes articulos, scientiam habet qui scit opinari plus. Igitur intellectus et scientia est unus habitus perfectus, dicens implicitam cognitionem primi credibilis et expressam aliorum.

4 Unde sapientia est caritas, consilium est prudentia, intellectus et scientia sunt habitus respectu primi credibilis et aliorum credibilium inclusorum, – sicut in acquisitis⁸ intellectus est principii, scientia conclusionis.

5 Contra: in habitibus acquisitis, scientia et intellectus sunt diversi habitus; igitur et scientia infusa et intellectus similiter.

6 Dico: verum est antecedens, ut patet ex VI *Ethicorum*. Consequentia tamen non valet, quia intellectus et scientia credibilium sunt habitus primi, excedentes facultatem naturalem, qui sunt ex cognitione Primi; et licet scientia et intellectus acquisiti sint diversi, quia inclinant propter diversam evidentiam, tamen – cum volo – assentio perfecte propter evidentiam, sed per habitum inclinantem me, qui tamen est idem habitus. Similiter scientia hic et ibi. Sed in patria non video aliqua credibilia nisi quia video essentiam; ideo est idem habitus hic et ibi, quia non evidentiam aliam habeo, sed tantum evidentiam essentiae.

F 28 HENRICUS GAND., *Quodl.* IV q. 23 in corp. (f. 142 I-143 I). 30 ARISTOT., *Eth. Nic.* VI c. 4 (AL XXVI⁸ 256; Z c. 3, 1139b 31-33): «Scientia quidem ergo est habitus demonstrativus, et quaecumque alia determinavimus in *Analyticis* [*Anal. post.* I c. 2 (AL IV¹ 7-9; A c. 2, 71b 9-72b 4)]»; c. 7 (p. 258-259; c. 6, 1140b 31-1141a 8): «Quia autem scientia de universalibus est existimatio et ex necessitate entibus, sunt autem principia demonstrabilium et omnis scientiae..., relinquatur intellectum esse principiorum».

T ⁸ supple: habitibus.

[DISTINCTIO TRIGESIMA SEXTA]

QUAESTIO UNICA

UTRUM VIRTUTES MORALES SINT CONNEXAE]

Quaeritur an virtutes morales sint connexae.

5 Quod non:

Quia aliquis potest esse naturaliter inclinatus in actus unius virtutis et non alterius: potest enim exercitare se circa 'istud' et facilius acquirere habitum illius; ergo etc.

6 (Item, potest se exercitare circa materiam unius virtutis, non exercitando circa materiam alterius; ergo etc.¹).

Item, ratione existente erronea potest voluntas elicere contra illam², igitur et tunc eligit; ex frequenter igitur elicere³ causatur habitus in voluntate, – et est virtus, quia inclinat voluntatem ad rectum agendum; igitur voluntas habet virtutem sine prudentia⁴.

15 Item, intellectus potest recte dictare et voluntas non eligere; igitur ex 'frequenter dictare recte' generatur prudentia et ex 'aliter frequenter eligere' vitium, – et sic vitium erit in voluntate; igitur etc.

Item, paupertas est inclinans ad arduum et recta ratione; potest tamen esse sine liberalitate, quia non habet materiam dandi et secundum rectam rationem.

Item, continentia coniugalis videtur oppositum continentiae⁵ et magnanimitas⁶ humilitati; unde istae virtutes non sunt necessario connexae.

MBK

4 Titulum quaestionis ita enuntiat codex K: Utrum virtutes morales sint connexae. Ibidem; textu tamen huius distinctionis praetermisso, alium textum, ex *Ordinatione III d. 36 q. un. sumptum*, tradit K (cf. *supra* p. 265, post lin. 302) 7 istud] illud MB 9-10 Item — etc. om. MB

T ¹ Argumentum hoc, quod codices ob homoioteleuton omittunt, ad quod tamen Duns Scotus infra n. 135 respondet, restituimus iuxta textum in *Reportationibus* exhibitum et prae oculis habito parallelo loco *Ordinationis* (cf. DUNS SCOTUS, *Ordinatio III d. 36 q. un. n. [1]*). ² supple: rationem. ³ scil. ex 'frequenter elicere'. ⁴ De hoc sermo fiet infra, in articulo tertio, n. 74-82. ⁵ continentiae scilicet quae includit virginitatem. ⁶ supple: videtur esse oppositum.

8 Contra:

VI⁷ *Ethicorum*.

25

9 Item, Augustinus VI *Trinitatis* 4.

[I. – AD QUAESTIONEM]

10 Ad quaestionem est articulus primus de connexione virtutum⁸ inter se quantum ad genera et species: et tunc potest quaeri an existente temperantia, necessaria sit iustitia aliqua, ut ita connexae sint – scilicet virtutes – ita quod non sint connexae secundum omnes specialissimas species vel quod secundum omnes species specialissimas sint connexae. Alius articulus, an virtutes omnes secundum genera vel species sint connexae necessario cum prudentia. Tertius articulus, an necessario sint connexae cum virtutibus theologicis, quia de hoc quidam videtur dicere quod infideles non possunt habere virtutes morales. Quartus, an virtutes theologicae necessario sint connexae inter se, scilicet an caritas cum aliis vel alia necessario cum caritate.

[A. – AN VIRTUTES MORALES SINT INTER SE CONNEXAE

40

SECUNDUM OMNES SPECIES SPECIALISSIMAS

I. – OPINIO HENRICI GANDAVENSIS

a. – OPINIONIS EXPOSITIO]

11 De primo, scilicet connexione moralium, dicitur quod in om-

MB

28 virtutis MB

F 25 ARISTOT., *Eth. Nic.* VI c. 18 (AL XXVI³ 270; Z c. 13, 1145a 1-2): «Simul enim prudentiae uni existenti omnes [virtutes] inerunt». 26 AUGUST., *De Trin.* VI c. 4 n. 6 (CCL 50, 233; PL 42, 927): «Virtutes quae sunt in animo humano, quamvis alio modo singulae intelligantur, nullo modo tamen separantur ad invicem, ut quicumque fuerint aequales verbi gratia in fortitudine, aequales sint et prudentia et iustitia et temperantia». 36 THOMAS, *Summa theol.* I-II q. 65 a. 2 in corp. (VI 423ab): «Virtutes morales, prout sunt operativae boni in ordine ad finem qui non excedit facultatem naturalem hominis, possunt per opera humana acquiri; et sic acquisitae, sine caritate esse possunt (sicut fuerunt in multis gentilibus). Secundum autem quod sunt operativae boni in ordine ad ultimum finem supernaturalem, sic perfecte et vere habent rationem virtutis, et non possunt humanis actibus acquiri, sed infunduntur a Deo; et huiusmodi virtutes morales sine caritate esse non possunt». 44 HENRICUS GAND., *Quodl.* V q. 16 in corp. (f. 186S-187Y): «In omni genere habitatum ad

T ⁷ Loco «VI», qui numerus in *Reportationibus* et in *Ordinatione* habetur, codices erronee tradunt «VIII». ⁸ Loco «virtutum», quod verbum contextus requirit, codices erronee tradunt «virtutis».

45 ni genere bonitatum et malitiarum, sunt⁹ quattuor status, ex VII *Ethicorum*: scilicet initium, progressus, perfectio et excessus. De his, in bonis, primus gradus a Philosopho dicitur perseverantia, secundus continentia, tertius temperantia, in quarto gradu dicitur virtus 'heroica'. 'Perseverans' dicitur qui est in habilitate aliqua bona, qui non statim cedit delectationi, sed stat aliquo modo, licet primo cedit in illo gradu; est enim 'contingens' non solum non cedens, sed repugnans, licet post cedat. In his gradibus¹⁰ nondum est virtus, quia nondum delectabiliter operatur, sed cum tristitia. Et in tertio gradu temperantia est quae delectabiliter vincit passiones ex habitu generato; 55 in isto gradu dicitur virtus communiter. Primae duae non habent connexionem. Si autem est excessus in ista¹¹, est virtus heroica.

Ad propositum:

12

Habilitationes duae primae sunt dispositiones, non virtutes nec habitus; quare earum non oportet esse connexionem: potest enim ali-

actus eliciendos potentiarum intellectus et voluntatis, in quibus principaliter habitus habent esse tam boni quam mali, quattuor sunt status: scilicet initium, progressus, perfectio et excessus. Verbi gratia, in habilitatibus moralibus ad eliciendum actus morales, de quibus Philosophus VII *Ethicorum* ponit exempla, appellans ipsa genera bonitatum et malitiarum: quae sunt, in bonitatibus, perseverantia, continentia, temperantia, [virtus] heroica, – in malitiis vero, incontinentia, imperseverantia, intemperantia, bestialitas. Quarum perseverantia et incontinentia pertinent ad bonitatum et malitiarum initium, continentia et imperseverantia ad progressum, temperantia [et intemperantia] ad perfectionem, heroica et bestialitas ad excessum. – Est autem perseverantia, prout hic de ea loquimur, habilitas qua quis, occurrentibus fortibus tristitiis aut delectationibus malis, a quibus multi vincuntur, se tenet ne statim ab eis vincatur et succumbat... Continentia autem... est in eo quod est vincere... Unde bonum perseverantiae est in eo quo quis tolerando detinet se ne statim laxet, et est infimus gradus bonitatis; quem sequitur statim gradus continentiae, quae vincit et repellit tentationes, licet cum dolore et labore. Et in hoc differt a temperantia, quae sequitur in tertio gradu, quoniam... continens habet fortes et pravas concupiscentias, temperatus autem non..., sed – ratione praecipiente oportere [se] detinere a turpibus delectationibus – confestim habet concupiscentiam sequentem et manet quietus... Et sequitur heroica, quae est in quarto et ultimo gradu bonitatis... Quando est habilitas actibus bonis generata in gradu perseverantiae et continentiae, vocatur 'dispositio'; quando vero in gradu temperantiae et heroicae, vocatur 'habitus'. Sed tunc dicitur proprie 'habitus qui est virtus', quando tenet medium gradum inter dispositionem et habitum, – quando vero excedit determinatum temperantiae gradum, tunc 'habitus heroicus' dicitur; ARISTOT., *Eth. Nic.* VII c. 1-2 (AL XXVI³ 271-272; H c. 1-2, 1145a 15-1145b 20). 57 Revocatis iis quae dixerat in sua quaestione praecedente, nunc ea sic ad propositum applicat HENRICUS GAND., *Quodl.* V q. 17 in corp. (f. 190K): «Et restat videre de connexione earum [scil. virtutum moralium]

T ⁹ Loco «sunt» codices tradunt «scilicet». ¹⁰ scil. primo et secundo. ¹¹ scil. in virtute tertii gradus.

quis exercitare se circa unius virtutis materiam, non tamen circa al-
terius, – et generare habilitatem unius, non alterius.

13 Sed in tertio gradu possumus distinguere virtutem ut inchoa-
tam et consummatam (licet citra virtutem heroicam): quae enim est
perfectio inchoata, etiam est virtus, sed non est perfecta.

14 Et dicitur tunc quod – in isto tertio statu – quae vere sunt vir-
tutes sed imperfectae, non sunt connexae. Quod probatur ut prius¹²:
potest enim una generari ex actibus, aliā non generatā.

15 In alio gradu¹³, necessario connexae sunt.

16 Probatio¹⁴:

Illa non est perfecta virtus quae secum compatitur obliquo-
nem potentiae eius ad oppositum, quia 'habitus est de difficili mobi-

ex parte modorum connectendi secundum gradus connexorum. Circa quam sciendum est
quod cum – secundum praedeterminata in praecedente quaestione – quattuor sint status
in qualibet virtute (scilicet inchoationis, profectus, perfectionis et excessus), in primis qui-
dem duobus virtutes omnino imperfectae sunt, nec merentur dici habitus aut virtutes, sed
tantum dispositiones ad virtutes. Dispositiones autem potest homo exercitio aliquo defecti-
vo acquirere ad unam virtutem, ita quod non ad aliam... Et ideo loquendo de virtutibus
quoad istos duos status..., dicendum quod non oportet ipsas esse connexas; immo aliquis
potest habere unam sine aliis tribus, vel duas sine aliis duabus».

F 62 HENRICUS GAND., *Quodl.* V q. 17 in corp. (f. 191L): «Si vero loquamur de virtuti-
bus secundum statum in quo merentur dici 'virtutes', sciendum quod... quia... in isto statu
existentes recipiunt intensionem, ut de perfectione simpliciter dicta tendant in consum-
mationem (quam si excedant, subintrant statum virtutum heroicarum), idcirco dicendum
quod habitus virtutum – secundum quod sunt simpliciter virtutes – dupliciter possunt con-
siderari: uno modo ut absolute perfectae sunt, alio modo ut imperfecte habent consumma-
tionem..., ut secundum hoc distinguamus virtutes penes duplicem statum, scilicet imperfec-
tionis et perfectae consummationis, ut secundum primum statum dicantur virtutes imper-
fectae, secundum autem secundum [statum] dicantur perfectae». 65 Ibid. (f. 191M):
«Si considerentur primo modo, cum (ut iam dictum est) aliquis natus ad unam virtutem
magis quam ad aliquam aliarum, potest se exercere magis in una virtute quam circa alias,
et per hoc potest citius devenire ad statum virtutis imperfectum, in quo tamen meretur dici
virtus simpliciter, quam deveniet ad alias, ita quod unam habeat secundum rationem habi-
tus, alias vero secundum rationem dispositionis; idcirco dico quod, virtutibus isto modo
consideratis, unam homo potest habere sine aliis [id est, non inter se connexas]». 68 Ibid.: «Si vero considerentur secundo modo, sic dicimus ipsas necessario esse con-
nexas». 69 Ibid. (f. 189Q-R): «Licet enim quaelibet virtus voluntatem sic afficit et ad fi-
nem suum inclinat, ut per se delectetur in eis quae congruunt suo fini et per se abhorreat
contraria, per accidens tamen praefendo aliud bonum 'ut nunc', fini suo non-directe
contrarium sed disparatum ab eo, a quo... impediatur ne ipsum attingat vel deiciatur ab eo,
necessario eget se iuvare et fulciri per illam virtutem quae voluntatem ipsam sic per se affi-
ciat et in finem suum inclinet, ut... per hoc firmetur voluntas ne per illud bonum – 'ut

T ¹² Cf. supra n. 12. ¹³ scil. in gradu consummationis (cf. supra n. 13). ¹⁴ Probat
dicta n. 14-15.

lis', ut patet in *Praedicamentis*; sed sic patitur virtus quae non est con-
nexa alii, quae potest esse sine alia: una enim virtus non firmat vo-
luntatem nisi circa unum bonum; non igitur firmatur circa aliquod
75 bonum 'ut nunc', – ita quod bonum 'ut nunc ostensum' potest vo-
luntas appetere et habere actum circa illud, et ita potest obliquari;
ergo etc.

Exemplum. Sit iste temperatus, non tamen iustus, – offeran-
tur divitiae: ut ad ultimum, voluntas ex defectu iustitiae eliget pecu-
80 niam, quia temperantia non firmavit eum super hoc; igitur non fecit
eum recte et delectabiliter respicere pecuniam.

Item, virtus non est perfecta quae non est principium delecta-
bilibiter operandi; sic autem est una virtus sine alia: est enim princi-
pium triste operandi (sicut temperatus et non iustus circa pecuniam
85 oblatam¹⁵).

MB

74 bonum om. B

nunc' ipsum appetendo – impediatur illa alia virtus a fine suo vel cadat ab ipso. Et quia bo-
num contrarium fini cuiusque virtutis, si fuerit sola, posset dicto modo per accidens re-
trahere voluntatem a fine cuiusque virtutis..., idcirco dico quod quaelibet virtus... debet ha-
bere quamlibet virtutem aliam sibi annexam... Nunc autem non est vera virtus quae in con-
trarium fini suo obliquari potest et deficere».

F 72 ARISTOT., *Praedic.* c. 8 (AL I¹ 24; c. 8, 9a 4-5): «Manifestum est autem quoniam
haec volunt 'habitus' nominari quae sunt diuturniora et difficile mobilia». 78 Duns Sco-
tus hic suum exemplum conficit ad modum exemplorum quae adducit HENRICUS GAND.,
Quodl. V q. 17 in corp. (f. 189R-T): «Verbi gratia: si quis, habens virtutem castitatis et per se
delectetur in operibus castitatis et diligat mentis et corporis puritatem, et abhorreat per se
contraria, – si non sit fortis, et offerantur ei terribilia sustinenda nisi adulterium committat,
timore poenae contra quem non castitas sed fortitudo firmat voluntatem, praefendo cor-
poris illaesionem puritatis bono, committet adulterium et cadet a virtute castitatis... Prae-
terea, si illi qui positus est esse castus proponatur copia munerum ut incestum committat, –
si non sit iustus... Praeterea, si prudens non sit... Et ita si sit castitas virtus, virtus vera non
potest esse nisi sint ei aliae connexae: scilicet fortitudo, iustitia et prudentia. Et similiter est
de unaquaque illarum [virtutum] respectu aliarum trium». 82 Ibid. (f. 188-189Q): «Ut
autem virtus quaelibet firmiter et impermutabiliter operetur ea quibus finem adipiscatur,
et non contraria quibus eo frustretur aut cadat ab eo, sed conservetur in ipso quantum est
in se, sufficit ei ut delectabiliter operetur quae sibi sunt propria, quibus finem suum adipi-
scitur et in fine suo custoditur, et abhorreat contraria (ut casto, ut operetur casta et abhor-
reat incesta). Quia tamen voluntas, quae est domina operationum quae sunt secundum vir-
tutes..., bono unius virtutis non est alligata neque bono virtutis acquisitae omnino, sed libe-
ram habet electionem talis boni simpliciter et 'ut nunc' (sive sit finis sive ad finem), – cum
hoc igitur quod delectabiliter operetur quae sibi sunt propria..., requirit alia adiutoria».

T ¹⁵ Sicut iam fecit paulo antea (n. 17), hic quoque Henrici exemplum Duns Scotus
immutat, fortasse ne discipulos conturbet.

- 19 Item, non est virtus perfecta quae non perducit ad finem; sed virtus una sine alia non perducit hominem ad felicitatem (nec politicam nec speculativam).
- 20 Item, Gregorius XXII¹⁶ *Moralium* cap. 1: «Tunc quisquis virtute pollet, quando vitio non subiaceret».
- 21 Item, Commentator VI *Ethicorum*, «Temperantiam hic appellamus velut 'salvatem prudentiam'»: «Sorores enim sunt ad invicem virtutes».
- 22 Item, Augustinus, super Apoc. glossa 21¹⁷ *Civitas in quadro posita est*.

[b. – OPINIONIS IMPROBATIO]

- 23 Contra istud: per te, iste habet habilitatem in primo et secundo gradu et tertio, imperfecte^a tamen, quia non habens adhuc aliam virtutem¹⁸.

^a Ante imperfecte habetur verbum sed, a Duns Scoto cancellatum¹⁴.

MB

89 XXII] II MB 94 21] II 26 MB 98 et 1¹: sed imperfecte tamen = MB

F 86 HENRICUS GAND., *Quodl.* V q. 17 in corp. (f. 188P): «Quemadmodum iuvant se invicem artes sermocinales..., et hoc erga notitiam scientiarum realium ad quas ordinantur finaliter, – ordo ergo similiter debet esse in politicis operationum secundum omnes virtutes et ipsarum virtutum inter se, in iuvando scilicet sese mutuo et conservando, et hoc respectu alicuius operationis ultimae et perfectae quae est finis aliarum, et est operatio illa propria operatio prudentiae, in qua consistit felicitas politica». 89 Ibid. (f. 189V): «Hinc dicit Gregorius XXII *Moralium* cap. 1 [n. 2 (CCL 143A, 1092; PL 76, 211)]: «Quisquis virtute aliqua pollere creditur, tunc veraciter pollet cum vitiis ex alia parte non subiaceret». 91 Ibid. (f. 189Y): «Unde Commentator, super illud VI *Ethicorum* «Temperantiam hic appellamus nomine velut 'salvatem prudentiam'» [ARISTOT., *Eth. Nic.* VI c. 6 (AL XXVI³ 258; Z c. 5, 1140b 11-12)], dicit sic: Sorores ad invicem virtutes sunt»; EUSTRATIUS, *In Eth. ad Nic.* VI c. 6 (cod. Vat. lat. 2171, f. 109rb): «Dicemus primum quidem quoniam sorores ad invicem [sunt] virtutes et multam ferunt ad invicem similitudinem... Et nihil admirabile si de una ipsarum ratio inducit et reliquas». 94 Prius glossam, deinde Augustinum allegat HENRICUS GAND., *Quodl.* V q. 17 in corp. (f. 191 O.Q): «In glossa, super illud Apoc. 21 [scil. Apoc. 21, 16] 'Civitas erat in quadro posita', dicitur 'Quattuor latera quattuor principales virtutes sunt [scil. prudentia, temperantia, fortitudo, iustitia], quarum una non debet aliam excedere in homine'... Augustinus... in Epistola... ad Hieronymum *De sententia Iacobi* in cap. 3, exponens sententiam philosophorum de connexione virtutum, dicit sic: 'Certe hinc persuadent quidam, [eum] qui unam habuerit virtutem, habere omnes, et omnes deesse cui una defue-

T ¹⁶ Loco «XXII», prout Henricus habet, codices erronee tradunt «II». ¹⁷ Loco «21» codices, ob incertitudinem, duos numeros tradunt, scil. «II 26», qui non sunt ad rem.

¹⁸ Cf. supra n. 12-14.

¹⁴ Cancellatur virtualiter per subsequens verbum «tamen».

- 100 Tunc sic: iste, habens virtutem imperfectam, potest operari actibus istius virtutis, non operando circa actus aliarum, quia faciliter inclinatur cum habet virtutem, licet imperfectam. Similiter, prius potest hoc idem circa materiam istius virtutis, non alterius, – sed non potest distincte simul agere circa duo, sicut nec intelligere duo
105 simul distincte; ergo nec¹⁹ eligere distincte circa duo per voluntatem. Igitur ex actibus illius augebitur una²⁰ virtus antequam circa aliam virtutem exercentur; etiam potest materia extendi alterius virtutis usque ad summum gradum possibilem perfectionis huius virtutis, et sic usque ad heroicam.

- 110 Dices: etsi non occurreret opportunitas agendi et exercendi²¹ circa aliam materiam extra, tamen continget bene quod²² intra, quia habebit phantasiam et materiam in phantasmatis.

- Contra: possibile est intellectum intelligere illa quae istius virtutis sunt frequenter et circa illa speculari frequenter, licet non circa
115 materiam alterius virtutis; et licet occurrant de aliis virtutibus phantasmata, potest respuere tamen ne intelligat et ne talibus intendat.

[2. – OPINIO THOMAE]

a. – OPINIONIS ENUNTIATIO]

- Dicitur aliter quod potest generari ex actibus unius virtutis
120 qualitas perfectissima²³, ut temperantia, quae est qualitas aequae in-

MB

102 prius om. B 105 nec] ut MB 106 una] unde MB 110 Dicit MB | exercitii MB 111 quod] et B 120 perfectissime MB

rit»; *Glossa ordin.* Apoc. 21, 16 (apud NICOLAUM DE LYRA, VI, f. 272v) [textus tamen glossae provenit ex RICHARDO DE S. VICTORE, *In Apocalypsim* VII c. 5 (PL 196, 868)]; AUGUST., *De sententia Iacobi* c. 2 n. 5 (CSEL 44, 592; PL 33, 735). 110 HENRICUS GAND., *Quodl.* V q. 25 in corp. (f. 204K). 119 THOMAS, *Summa theol.* I-II q. 65 a. 1 in corp. (VI 418b): «Virtus moralis potest accipi vel perfecta vel imperfecta. Imperfecta quidem moralis virtus, ut temperantia vel fortitudo, nihil aliud est quam aliqua inclinatio in nobis existens ad opus aliquod de genere bonorum faciendum, sive talis inclinatio sit in nobis a natura sive ex assuetudine. Et hoc modo accipiendi virtutes morales, non sunt connexae: videmus enim aliquem ex naturali complexione vel ex aliqua consuetudine esse promptum ad opera liberalitatis, qui tamen non est promptus ad opera castitatis... Et secundum hoc, manifeste apparet ratio con-

T ¹⁹ Loco «nec» codices, ob simile compendium, tradunt «ut». ²⁰ Loco «una» codices, ob simile compendium, tradunt «unde». ²¹ Loco «exercendi» codices tradunt «exercitii». ²² subintellige: occurrat oportunitas agendi et exercendi. ²³ Loco «perfectissima» codices tradunt «perfectissime».

tensa in²⁴ esse naturae sicut virtus heroica; sine aliis tamen non est virtus, quia non est consona cui debet consonare (scilicet²⁵ aliis virtutibus et rationi rectae), – quae concordia est necessaria, quia non est virtus dum sola est.

[b. – OPINIONIS IMPROBATIO]

28 Contra:

Si virtus est quid absolutum et est ens per se et²⁶ species qualitatis, et non ens per accidens, – istud non valet, quia tunc ad eam non pertineret respectus²⁷; tamen hoc non credo.

29 Tunc sic arguo: ista est perfecta virtus, quae est perfecta qualitas et quae habet obiecta quae per se respiciunt actionem ut est actio virtutis; sed hoc totum habetur quando – ex iudicio rectae rationis – est conformitas illius actus ad hoc obiectum et non ad aliud: tunc enim per frequentem actionem generatur qualitas perfecta et ex actibus conformibus rationi rectae et illis quibus debet esse conformis; igitur et habitus generatus ex illis est conformis illis quibus debet esse. Igitur est virtus, quia non caret respiciente per se actum vel rationem rectam.

30 Item, nulla est condicio in virtute nisi quod sit habitus electivus, inclinans ad electionem medii ex ratione recta; sed haec qualitas est huiusmodi; igitur est virtus, – et si intensa qualitas, igitur et intensa virtus.

31 Item, quaelibet virtus est ratio essendi alii²⁸, et ita erit virtus antequam sit virtus; et similiter esset talis in perfectione essentiali virtutis.

MB

121 in] et MB | est om. MB 122 scilicet] et MB 127 et] est MB 140 inclinans om. B

nexionis: non enim firmitas habet laudem virtutis si sit sine moderatione vel rectitudine aut discretionem; et eadem ratio est de aliis; ad 1 (f. 419ab): «Virtutum moralium quaedam perficiunt hominem secundum communem statum... Si autem [homo] exercitetur bene operando circa unam materiam, non autem circa aliam..., acquireret quidem habitum aliquem..., qui tamen non habebit rationem virtutis... Quaedam vero virtutes morales sunt quae perficiunt hominem secundum aliquem eminentem statum, sicut magnificentia et magnanimitas... Cum enim aliquis per exercitium adeptus est liberalitatem circa mediocres donationes..., si superveniat ei abundantia pecuniarum, modico exercitio acquireret magnificentiae habitum».

T²⁴ Loco «in» codices tradunt «et». ²⁵ Loco «scilicet» codices tradunt «et».

²⁶ Loco «et» codices tradunt «est». ²⁷ scil. respectus ad se vel ad alium, cf. supra d. 34 n. 24-29. ²⁸ supple: virtuti. – Cf. supra n. 27.

145 Probatio:

Sint habilitates in voluntate: non oportet circa obiecta simul agere; similiter ergo aliqua perfecta habilitas ex parte sui – etiam per te – alii dabit esse virtutem. Sed quod recipiet ab alia, illa complet; igitur fit virtus antequam sit virtus! Igitur fortitudo, cum inest, erit ratio temperantiae esse virtutem, et e converso, – et ita temperantia erit virtus antequam sit virtus! Si autem ante instans quo fortitudo est virtus, temperantia est virtus perfecta, habetur propositum; si non, igitur in instanti quo fortitudo non est virtus, nec temperantia est virtus. – Et sequitur quod in instanti quo fortitudo est virtus, temperantia erit virtus; et cum non contingit sibi agere praeter materiam utriusque, sequitur quod illo actu quo generatur una in gradu suo perfecto, generantur omnes.

Uterius deduco: tunc si nulla virtus sit perfecta de ratione sui, sed ratione concomitantiae cum alia (ut fortitudo temperantiā), ita quod ultima perfectio illarum et ultimus gradus utriusque sit respectu alterius, tunc sequitur vel quod perfecta ratio omnium virtutum sic inducatur unica actione, vel quod – per te – ex uno actu fortitudinis non inducatur essenziale complementum eius donec ulterius eliciatur actus completus temperantiae; igitur cum non ulterius requiratur actus fortitudinis, complementum eius essenziale erit ex temperantia vel actu temperantiae.

Et similiter e converso: fortitudo, in quantum habens complementum, erit causa essentialis complementi temperantiae, cum non habeat perfectionem – qua dicitur virtus perfecta – nisi ex fortitudine sic praeexistente; igitur qualitate perfecta inducta, quae alias esset virtus, solum per respectum superinductum ad illam virtutem dicitur virtus, et sic prius et similiter erit circulatio in esse virtutis; vel simul naturā sunt omnes virtutes, et hoc per ultimum actum, qui tamen non complet effective nisi habitum unum.

175 Item, maior est convenientia et unitas duarum specierum unius generis virtutis moralis intermedii quam diversorum generum intermediorum; unde rationabilius esset species eiusdem virtutis moralis secundum genus esse vere connexas quam diversas virtutes in genere: magis conveniunt enim delectabilia ad quae inclinat temperantia

MB

152 perfecta rep. ante temperantia B 162 actione] ratione M'

quam pecunia et delectabile, ad quae inclinant temperantia et iustitia. Sed tamen istae in istis virtutibus non sunt connexae necessario, sicut nec temperantia quae est castitas coniugalis et temperantia quae est castitas virginalis, immo sunt impossibiles. Igitur multo magis temperantia et fortitudo et iustitia, quae sunt alia genera intermedia, non sunt aliqua necessitate connexa²⁹.

36 Hoc intelligit Augustinus *Ad Hieronymum*, ex sententia Iacobi, cap. 4³⁰, et incipit: 'Unam virtutem habere et non aliam' etc.

[3. – OPINIO PROPRIA]

37 Ideo, quantum ad istum articulum³¹, absolute dico quod nec virtutes morales sunt connexae quantum ad species eiusdem generis vel diversorum generum (nec in infimo, nec in medio, nec in heroica), nec bonitates ipsarum differentiarum.

38 Ideo ad hoc quod sit perfecta virtus moralis, omni perfectione pertinente ad propriam rationem eius in quantum huiusmodi, non requirit per se aliam virtutem sibi coexistere necessario, ut – actuali perfectione et extrinseca – una iuvet aliam.

39 Quod probatur sic, quia virtus moralis est perfectio hominis non totalis³², quia tunc non essent multae virtutes morales, sed una tantum, sicut una felicitas; sed sicut homo, habens organa diversa, sic potest habere diversas operationes, et respectu unius operationis potest unum³³ esse perfectum, licet aliud non, nisi respectu alterius, sic virtus est principium operandi, et habet plures operationes homo. Sed 'haec virtus' est partialis perfectio; et ideo

MB
187 4] 8 MB

F 186 Ex sententia Iac. 2, 10: «Quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus», sic arguit AUGUST., *De sententia Iacobi* c. 4 n. 14 (CSEL 44, 601-602; PL 33, 738-739): «Etsi verum est 'eum qui habet unam, omnes habere virtutes', eum qui unam non habet, nullam habere... Si autem... ita sunt animae intentiones ut corporis membra..., sic dici potest [quisque] habere aliam [virtutem], aliam non habere, aliam magis minusve habere virtutem. Nam... recte possumus dicere... in ipso uno homine quod maiorem habeat pudicitiam quam patientiam, et maiorem hodie quam heri, si proficit, – et adhuc, [quod] non habeat continentiam, et habeat non parvam misericordiam». Opus Augustini, *De sententia Iacobi* iam Henricus allegaverat supra ad lin. 94.

T ²⁹ subintellige: genera. ³⁰ Loco «4» codices, ob simile compendium, tradunt «8». ³¹ scil. primum (cf. supra n. 10-11). ³² id est: est hominis perfectio non totalis. ³³ supple: organum.

potest esse perfectio in se summe, licet non sit alia perfectio partialis. Et ita quilibet homo esset perfectus secundum illam (sicut ego possem perfecte videre, licet non audire, – et sic oculus esset perfectus, licet non auris; et ideo non esset perfecte sentiens nec totaliter perfectus, quia adhuc perfectibilis aliis perfectionibus). Similiter est in proposito de moralibus virtutibus respectu hominis, ad hoc quod agat moraliter.

4. – AD ARGUMENTA OPINIONIS HENRICI]

Ad argumentum primum, de propositione illa de *Praedicamentis*, cum dicitur quod 'habitus est de difficili mobilis'³⁴, – verum est, non tamen quod omnino sit immobilis, sed de difficili mobilis. Unde cum dicitur quod 'perfecta virtus non patitur potentiam suam obliquari, quia per modum naturae inclinatur voluntatem huius ad actum suum'³⁵, – verum est; non autem patitur ut coagens naturaliter, sed sicut agens huiusmodi aliquando violentatur per fortius, – et sic per voluntatem potest obliquari iste habitus, prius tamen fuit vera virtus; ideo tamen potest pati obliquationem, quia voluntas vincit inclinationem virtutis.

Ad aliud³⁶: verum dicit quod³⁷ perducit ad finem ultimum; sic non est vera caritas quae amittitur, verumtamen est caritas ut habitus.

Ad confirmationem, de non iusto et temperato³⁸, dico quod si non perfecte se habet circa aliam virtutem, ita tamen perfecte se habet circa istam virtutem, sicut potest et ratio eius exigit, – et regulatur ita perfecte haec virtus hominem sicut regulare debet. Unde bene probas quod habens temperantiam et non iustitiam, sit imperfectus; non tamen obstat quin circa aliquam materiam perfecte se habeat – sicut potest – ex illa virtute.

Ad aliud, cum dicitur 'non est virtus³⁹ quae non est principium delectabiliter operandi'⁴⁰, verum est: quia enim inclinatur regulariter in reliquam, ideo delectatio. Et dico: iste delectabiliter operatur

MB
221 virtus M 222 aliud] alia MB

T ³⁴ Cf. supra n. 16. ³⁵ Cf. ibid. ³⁶ Cf. supra n. 19. Duns Scotus hic et in sequentibus, ad singula Henrici argumenta raptim ad memoriam revocata, permutato ordine respondet. – Loco «aliud» codices tradunt «alia». ³⁷ supple: virtus perfecta. ³⁸ Cf. supra n. 17. ³⁹ supple: perfecta. ⁴⁰ Cf. supra n. 18.

quantum ad actum temperantiae, non quantum ad actum alium, sed ibi patitur tristitiam.

44 Ad aliud⁴¹: homo non est perfectus felicitate civili⁴² nec speculativa, nisi sit perfectus homo, – et hoc est per multas virtutes; ideo una virtus tantum non perducit ad finem hominis, sed ad proprium finem dum manet. Unde quando plura requiruntur in ordine ad unum finem, non sequitur 'unum tantum non perducit ad illum, non est igitur perfectus' (ut si ad sanitatem requiritur sectio et portio, non sequitur 'sectio non perducit ad illud, igitur est imperfecta'): nulla enim partialis perfectio perducit totaliter de se ad finem perfectum totalem.

45 Ad sextum⁴³ dicendum quod virtutes, ut solum ordinantur ad actus humanos, sic una potest esse sine alia; sed ut sunt principia merendi, non sunt virtutes sine connexione. Sed ut sint principia merendi, non est de ratione virtutis ut 'virtus moralis': non enim potest ipsa de se facere ut Deus acceptet eam⁴⁴.

46 Ad aliud⁴⁵: sunt sorores, quia iuvant se ad invicem; tamen unaquaqueque habet quod suum est formaliter, licet una non sit sine alia, etc.⁴⁶.

[B. – AN OMNES VIRTUTES MORALES
NECESSARIO SINT CONNEXAE CUM PRUDENTIA]

47 De secundo articulo, scilicet de connexione virtutum moralium cum prudentia⁴⁷.

[I. – DE CONNEXIONE CUIUSLIBET VIRTUTIS CUM SUA PRUDENTIA]

a. – OPINIO HENRICI GANDAVENSIS

α. – OPINIONIS EXPOSITIO]

48 Et primo, de connexione cuiuslibet virtutis moralis cum sua prudentia, dicitur quod sunt connexa necessario, ut patet VI *Ethicorum*.

MB

251 una] articulatio M'

F 260 HENRICUS GAND., *Quodl.* V q. 17 in corp. (f. 189D): «De connexione illarum [vir-

T ⁴¹ Cf. supra n. 19. ⁴² seu politica; cf. ibid. ⁴³ Cf. supra n. 20; non est tamen 'sextum' in ordine. ⁴⁴ Cf. DUNS SCOTUS, *Lectura* I d. 17 n. 89-90 (XVII 209-210). ⁴⁵ Cf. supra n. 21. ⁴⁶ scil. ut iam supra n. 38-39 explicatum est. – Ad argumentum n. 22 non respondet hic, quia iam respondit supra n. 36. ⁴⁷ Cf. supra n. 10.

Modus ponitur iste:

Ante omnem electionem rectam, oportet aliquid ostendi ab intellectu, et tunc intellectus non habet habitum practicum: primum⁴⁸ enim habitu practico est simplex apprehensio incomplexorum; unde quia intellectus prius apprehendit naturaliter terminos ex quibus formantur principia agibilium, et tunc complexionem facit, cuius evidentialia patet ex terminis; et huic⁴⁹ assentiens, intellectus convertit se cum acceptatione voluntatis, generans in se initium virtutum moralium, sicut illud in intellectu fuit initium prudentiae. Aliqui autem sunt habiles ad inveniendum medium ad istud, et invenitur per syllogismum practicum ad concludendum eis ad finem recte, qui est primum principium in agibilibus. Et voluntas habet assentire rectae rationi seu recto dictamini rationis: voluntas enim eligit concorditer ut iudicat intellectus; et quantum intellectus generat de recto dictamine, tantum voluntas de recta electione eligit, ita ut si primo possit assentire et per istum actum simul generaretur prudentia in intellectu, per illud causaretur virtus moralis in voluntate, ita quod istos actus in intellectu concomitatur iste actus in voluntate. – Hoc probat Philosophus VII *Ethicorum*, ubi vult quod si voluntas male eligit, intellectus male dictat hoc.

Unde a parte intellectus «in bene natis – annexa cum potentiā – 50 quaedam⁵⁰ est naturalisabilitas ad prompte inveniendum media convenientia ad finem intentum⁵¹», quam habilitatem vocat Philosophus VI *Ethicorum* 'deinotetam'⁵²; et hanc movet voluntas – na-

MB

266 prius] primus MB 283 quaedam] quidem MB 284 intentum] recte tunc MB

tutum] cum prudentia particularium simul et de connexione prudentiae particularium cum illis... dicit Philosophus VI *Ethicorum*: 'Non est possibile bonum [seu morale] virtutem] esse principaliter sine prudentia, neque prudentiam sine morali virtute'; ARISTOT., *Eth. Nic.* VI c. 17 (AL XXVI³ 270; Z c. 13, 1144b 30-32): «Manifestum igitur [est]... quoniam non est possibile bonum esse principaliter sine prudentia, neque prudentem sine morali virtute».

F 262 HENRICUS GAND., *Quodl.* V q. 17 in corp. (f. 189D, 190F-G); ARISTOT., *Eth. Nic.* VII c. 11-12 (AL XXVI³ 286-287; H c. 9, 1150b 29-1151a 14). 282 HENRICUS GAND., *Quodl.* V q. 17 in corp. (f. 190F-G); ARISTOT., *Eth. Nic.* VI c. 16 (AL XXVI³ 269; Z c. 13, 1144a 23-24).

T ⁴⁸ Intellige adverbialiter, scil. 'ante omnia' seu 'per prius'. ⁴⁹ scil. evidentialia. ⁵⁰ Loco «quaedam», prout Henricus habet, codices tradunt «quidem». ⁵¹ Loco «intentum», prout Henricus habet, codices tradunt «recte tunc». ⁵² graece δεινότης (a δεινότης, quod est «abilitas»). – Cf. THOMAS, *Sententia libri Ethicorum* VI c. 10 (XLVII² 372b-373a): «Est itaque quaedam potentia, id est operativum principium, quam vocant 'deinotetam', quasi ingeniositatem quamdam sive industriam, quae talis est ut per eam homo possit

turaliter inclinata ad finem – ad inquirendum huiusmodi media ordinata in finem, ita quod «voluntas libere exsequetur, ita quod per experientiam circa huiusmodi particularium determinationem augmentat in se intellectus practicus habitum prudentiae, et electione concordi vel executione voluntas aggenerat in se virtutem moralem; et ita naturali ordine prius generatur prudentia in intellectu ex experientia particularium et augmentatur quam virtus moralis ex electione conformi in voluntate».

51 Item, ibidem alias⁵³.

52 Item, in VII: intellectu proponente maiorem (vel phantasia in animalibus), et minore oblata a sensu vel opinione, conclusio erit operari; igitur necessario erit connexio.

53 Item, Augustinus super illud 'Ira Dei super illos', id est glossa: «Obscuritas sequitur eos qui legem Dei transgrediuntur». Item, Dionysius *De divinis nominibus*: «Nullus male agit respiciens ad malum»; et ita patet *Excaecavit eos malitia eorum*: glossa, ibidem idem⁵⁴.

54 Sed alibi dicit: «Stante intellectu in universali et particulari, vo-

F 294 HENRICUS GAND., *Quodl.* V q. 17 in corp. (f. 190F): «Et sequitur ibidem: 'Virtus et malitia principium [operabilium] haec quidem corrumpit, haec autem salvat' [loco 'haec... haec' in editione habetur 'hoc... hoc']»; ARISTOT., *Eth. Nic.* VII c. 12 (AL XXVI³ 287; H c. 9, 1151a 14-16). 295 ARISTOT., *Eth. Nic.* VII c. 5 (AL XXVI³ 277; H c. 5, 1147a 25-1147b 5): «Haec quidem enim universalis opinio [seu propositio]; altera autem de singularibus est, quorum sensus iam proprius [est]; cum autem una fiat [ratio] ex ipsis, necessarium conclusionem [sequitur]... operari confestim... Quare et propter hoc [sequitur] bestias non incontinentem agere, quoniam non habent universalem opinionem, sed singularium phantasiam et memoriam»; sed melius in *De animal. motu* c. 4 (ed Iuntina VI², f. 40vb; c. 7, 701a 11-23): «Hic autem ex duabus propositionibus conclusio, quae fit, operatio est: velut, cum intellexit quod 'omni homini sit ambulandum', ipse autem 'quod sit homo', ambulat confestim... Quod igitur operatio sit conclusio, manifestum est». 298 HENRICUS GAND., *Quodl.* X q. 10 in corp. (AMPh s. 2, XIV 259): «Unde super illud Ps. 2 'Tunc loquetur ad eos in ira sua' [Ps. 2, 5] dicit Augustinus sic: 'Ira Dei ipsa est mentis obscuratio, quae consequitur eos qui legem Dei transgrediuntur'»; AUGUST., *Enarrat. in Psalmos* ps. 2 n. 4 (CCL 38, 4; PL 36, 70); *Glossa ordin.* Ps. 2, 5 (apud NICOLAUM DE LYRA, III f. 89ra). 300 Ps.-DIONYSIUS, *De div. nom.* c. 4 (*Dionysiaca* I 304; PG 3, 731): «Nullus enim, ad malum respiciens, facit quae facit». 301-302 Sap. 2, 21: «Excaecavit enim illos malitia eorum»; HENRICUS GAND., *Quodl.* X q. 10 in corp. (AMPh s. 2, XIV 260): «Ubi dicit Augustinus [*Enarrat. in Psalmos* ps. 13 n. 2 (CCL 38, 86; PL 36, 141)]...: «Affectiones [malae]... corrumpunt animam, et sic excaecant». 303-305 Hanc propositio operari ea quae ordinantur ad intentionem quam homo praesupponit, sive bonam sive malam, et quod per ea quae operatur possit sortiri – id est consequi – finem».

T ⁵³ scil. eodem loco VII *Ethicorum* (ut supra n. 49) dicit Aristoteles aliter. ⁵⁴ scil. idem, quod prius, sonat glossa seu commentum Augustini, ibidem, scil. eodem loco Henrici quo prius.

luntas potest velle oppositum», – igitur non consequuntur se haec praedicta⁵⁵.

Dicit quod haec propositio⁵⁶ est vera in sensu divisionis, scilicet quod 'ratione sic et sic stante, possibile est modo ut voluntas velit oppositum', – et hoc dicit quilibet.

In sensu autem compositionis⁵⁷ 'ratione stante (seu intellectu) in universali et particulari, voluntas vult oppositum', estne haec vera seu possibilis? – Respondet: si exponitur per 'quia', falsa est sub hoc sensu 'quia ratio sic stat et ratione sic stante, ideo voluntas non vult oppositum'; sed si exponitur per 'simul dum' vel per 'simul quia', potest intelligi ordo vel quod 'ratione stante, id est non cadente prius naturaliter, voluntas non potest cadere' (hoc est error), vel 'si non cadente prius naturaliter, non potest simul tempore voluntas cadere' (est error).

Unde vult quod simul tempore non potest esse 'quod ratio vere et recte dictet' et 'quod sit velle oppositum in voluntate'. Sed voluntas potest excaecare intellectum, et statim – dum non stat intellectus in actu – concomitatur tunc quod intellectus non dictabit; et potest tunc voluntas oppositum prius dictare, et prius naturaliter est error in voluntate, et in intellectu – prius naturā – naturaliter simul generatur, quia simul tempore sunt actus, licet prius naturaliter sit dictamen intellectus verum quam bonus actus in voluntate, et prius malus actus in voluntate quam in intellectu (prius naturā).

[β. – OPINIONIS IMPROBATIO]

Sed contra:

'Dum stat ratio perfecte, recta voluntas non est obliqua' haec est

MB

307 possibilis M

nem, prout hic contracte exhibetur, habet HENRICUS GAND., *Quodl.* X q. 10 in corp. (AMPh s. 2, XIV 258), sed eam largius praebet et explicat ibid. q. 9 ad 1 tertii arg. (p. 245-246).

F 306 HENRICUS GAND., *Quodl.* X q. 10 in corp. (AMPh s. 2, XIV 258-259): «Et est dicendum quod... stante ratione recta et in universali et in particulari, pro hora in qua stat, potest voluntas ei contrariari et per appetitum generari malitia in voluntate. Sic ergo stante ratione recta, pro hora in qua stat, potest voluntas ei contrariari et generari prius malitia in voluntate quam error in ratione proprie dictus generetur». 311 Ibid. (p. 262-271).

T ⁵⁵ id est: igitur si voluntas potest velle oppositum, tunc antecedens et conclusio non consequuntur se. ⁵⁶ scil. quae mox sequitur. ⁵⁷ De compositione et divisione in logica cf. PETRUS HISPANUS, *Tractatus* tr. 7 n. 57-76 (p. 115-127).

necessaria per se – secundum eum – necessitate consequentiae,³³⁰ quia oportet ut voluntas concorditer eligat dictamen⁵⁸ rectae rationi, alioquin si sit libera post conclusionem prudentiae circa particulare agibile ad eligendum et non eligendum, stante ratione recta posset eligere contrarium; et sic oppositum frequenter eligendo eius quod dictat prudentia, posset generare in se habitum oppositum virtutis³³⁵ sicut habitum virtutis, et per consequens ex parte generationis non inveniretur aliqua connexio necessario.

59 Si autem dicatur quod necessarium est voluntatem elicere quod dictatum est, – ergo non erit in voluntate aliquem habitum virtutis ponere, sed sufficit sola prudentia in intellectu, quae non solum de-³⁴⁰ terminaret, sed etiam necessitaret voluntatem; et similiter necessario esset sibi delectabile ex natura sua (absque enim omni habitu), quia naturaliter inclinaretur in illud in quantum sic est iudicatum; inclinatio vero naturalis, quae apprehensionem consequitur, necessario causat delectationem. Et sic quoad nihil quod est de ratione habitus,³⁴⁵ esset necessarius habitus in voluntate, quia totum faceret ratio recte iudicans. Unde ad rectitudinem voluntatis non oportet habere nisi habitum scientiae, et habentem scientiam non oportet persuadere ad recte volendum, sed ad considerandum, quia – per te – dum stat intellectus in actu scientiae, stat rectitudo in voluntate necessario⁵⁹,³⁵⁰ et cum habitus est perfectus, maxime inclinatur ad considerandum. Igitur voluntas non potest evelli a volitione sequente in eodem instanti, quin recte velit stante consideratione, – et sic enim scientia non ‘parum aut modicum’ faceret ad virtutes, sicut dicitur II *Ethico-
rum*, immo totum, quod⁶⁰ non posset facere contrarium; et sic vitio-³⁵⁵ sus non esset nisi instruendus secundum rectam rationem in agibilibus, quia eo ipso virtuose ageret!

60 Item, si voluntas necessario aggeneraret in se virtutem moralem, ex hoc quod aggenerat prudentiam recte dictando frequenter⁶¹, non salvant articulum quem intendunt salvare, qui dicit quod³⁶⁰

MBK

332 circa] tunc B 333 possit MB 360 dicunt MB

F 330 HENRICUS GAND., *Quodl.* X q. 10 in corp. (AMPh s. 2, XIV 266-267). 354-355 ARISTOT., *Eth. Nic.* II c. 4 (AL XXVI³ 168; B c. 3, 1105b 2-3): «Ad virtutes autem ‘scire’ quidem parum aut nihil potest». 360-363 HENRICUS GAND., *Quodl.* X q. 9 ad

T ⁵⁸ id est: eligat dictamen concorditer. ⁵⁹ Cf. supra n. 57. ⁶⁰ scil. adeo quod seu adeo ut. ⁶¹ Cf. supra n. 49.

“qui dicit hoc, scilicet ‘existente ratione recta, voluntatem non posse in contrarium’, errat”, et propositionem magistralem, quae dicit quod ‘non est malitia in voluntate sine errore in ratione’, – qui⁶² per hoc ponunt quod in eodem instanti temporis, quo dictat ratio³⁶⁵ recte, potest voluntas contrarium eligere, ita quod in primo signo illius instantis, in quo adhuc stat in apice rectitudinis, eligit voluntas contrarium, et in secundo signo, tamen simul tempore sed posterius naturā⁶³, causaliter consequitur debilitatio iudicii et obnubilatio, quae est dispositio et via ad corruptionem sive errorem.

370 Sed hoc non⁶⁴ videtur verum, nam etsi voluntas habet movere se 61 contra iudicium rationis, non tamen potest⁶⁵ iudicium rationis isto modo corrumpere, quia supposito quod principia sint ex terminis nota et deductio evidens, aequae impossibile esset intellectum non assentire circa agibilia sicut circa speculabilia, quia prima principia³⁷⁵ practica sunt aequae nota sicut speculabilia⁶⁶, et deductio tantam⁶⁷ habet evidentiam ex forma illationis et non ex materia; et ideo aequae potest esse evidens ista in materia morali sicut in materia speculabili; non igitur potest iudicium rationis circa bonum sic ostensum et conclusum dissentire vel contrarium iudicare, immo forte hoc includeret contradictionem.³⁸⁰

MB

367 in] si MB | sed] si MB 368 natura] non MB 370 non om. MB

I tertii arg. (AMPh s. 2, XIV 245-249); q. 10 in corp. (p. 263-269); *Articuli 219 a Stephano Tempier Parisiensi episcopo damnati* a. 219 (I 551): «Quod voluntas – manente passione et scientia particulari in actu – non potest agere contra eam»; propositionem magistralem, seu a Parisiensibus magistris concessam, refert AEGIDIUS ROM., *Quodl.* I q. 19 in corp. (f. 11vb) [textus cf. in ed. nostra, VIII 71⁹].

F 363 HENRICUS GAND., *Quodl.* X q. 10 in corp. (AMPh s. 2, XIV 261).

T ⁶² scil. Henricus. ⁶³ Loco «in... sed... naturā» codices, ob compendiorum similitudinem, tradunt «si... si... non». ⁶⁴ Verbum «non», quod sensus requirit, codices omitunt. ⁶⁵ supple: voluntas. ⁶⁶ Cf. ARISTOT., *Anal. post.* I c. 9 (AL IV¹ 22; A c. 9, 76a 16-18): «Non est uniuscuiusque [scientiae] propria principia demonstrare: erunt enim illa omnium principia, et scientia illorum propria omnibus»; ROBERTUS GROSSATESTA, *Anal. post.* I c. 8 (p. 152): «Cuius ratio est, quia principia alicuius scientiae sunt prima omnium in illa scientia..., et principia sunt magis scita subsequentibus in eadem scientia et nihil magis scitur principiis in eadem scientia»; HENRICUS GAND., *Quodl.* V q. 17 in corp. (f. 190F): «Virtus naturalis intellectus practici... ante omnis habitus qualemcumque generationem, habita notitia terminorum in operandis, naturaliter concipit prima principia operandorum generalissima, quae sunt prima principia legis naturae, quemadmodum intellectus speculativus in speculatis – cognitis terminis – concipit naturaliter prima principia speculandorum». ⁶⁷ scil. tam magnam.

- 62 Vel igitur cadet⁶⁸ a consideratione eius quod est conclusum sic et illatum, vel iudicium erit rectum post electionem vitiosam.
- 63 Si primum, hoc est⁶⁹ ex imperio voluntatis vel ex phantasmate alterius obiecti fortius movente intellectum ad considerationem eius quod repraesentat, et sic – si aliud phantasma alterius obiecti fortius moveret – caderet a consideratione prioris; et sic consideratio intellectus de agibili a nobis est casualis et naturalis, quia prima motio intelligitur a phantasmate esse naturalis (et non practicae voluntatis) quoad hoc quod primo veniat in mentem, et tunc semper ageret ut brutum et irrationale.
- 64 Si autem per imperium voluntatis cadit ratio a consideratione recta, si non post obnubilationem vel errorem quin si iterato ostendatur eadem evidentiā, aequaliter iudicaret recte circa agibile sicut prius.
- 65 Item, intellectu stante in apice, si voluntas praecipiet non considerare, habebit voluntas actum non concordantem dictamini rationis si post instans istud cadit consideratio: si enim – in secundo instanti hoc – eligit male et non avertit intellectum ab ista consideratione, non potest facere intellectum dubitare circa istam⁷⁰ propositionem, nec contrario⁷¹ assentire, quia ista est evidens ex terminis (prima enim principia practica, secundum eum, sunt evidentiā ex terminis); ideo stante consideratione circa illud, non potest facere dissentire illi, – igitur nec facere istum syllogismum non esse evidentem. Igitur nec faciet intellectum non assentire syllogismo vel non concludere necessario hanc conclusionem, quia principium est evidens et forma syllogistica similiter.
- 66 Item, in via non potest aliquis esse incorrigibilis a malitia; si igitur habet quis actum intemperantiae ita quod intellectus suus iudicat esse fornicandum, est incorrigibilis quia errat circa primum principium practicum, quod non potest per evidentius doceri, quia negabat tunc illud⁷².
- 67 Item, daemones non credunt, nec iudicant⁷³ istud 'Deus est odiendus': si enim intellectus crederet et quiesceret in istud 'Deus

MB

393 recte] *add.* sic BF 401 HENRICUS GAND., *Summa* a. 22 q. 1 in corp. (I f. 130L).T ⁶⁸ *supple:* ratio. ⁶⁹ id est: Si primum detur, hoc fit. ⁷⁰ scil. aliquam determinatam.⁷¹ scil. alicui contrario. ⁷² scil. cum iudicabat esse fornicandum. ⁷³ scil. an sit verum.

est odiendus', non haberent remorsus⁷⁴ conscientiae aut voluntatis ad intellectum.

Item, Augustinus super illud Ps. *Concupivit anima mea*: «Prae- cedit intellectus, sequitur nullus aut tardus affectus»; igitur etc.

[b. – OPINIO PROPRIA]

Dico igitur quod non est necesse ista duo concomitare se, scilicet tale dictamen rectum in intellectu et talem electionem in voluntate, sed potest esse non talis electio vel opposita: sicut enim actu uno demonstrandi generatur habitus scientiae, ita ex habitu uno syllogizandi practico generatur habitus et conclusio practica, in quo tamen instanti nondum eligit voluntas; igitur habitus potest generari in intellectu licet non in voluntate, sicut actus potest esse sine actu.

Dico tunc quod malitia excaecat privative, quia facit averti ab illo quod est visibile ratione practica, scilicet circa finem: voluntas enim mala non permittit intellectum diu stare circa principia practica, non autem potest facere in intellectu ut non assentiat principio, immo dubium est si Deus potest facere intellectum non assentire dum considerat istam⁷⁵ propositionem, cum assensus causetur a causis naturalibus (ut terminis) in intellectu.

Sequitur etiam tunc quod intellectus potest non solum privative excaecari, sed etiam contrarie⁷⁶: dum enim voluntas vult malum, praecipit intellectum considerare in particulari media ad perveniendum in talem finem, et tunc ea vult in particulari; unde intellectus practicus, ex voluntate volente finem efficaciter et in communi, et per consequens volente necessaria ad finem et compellente intellectum per hoc ad perquirenda quae sunt necessaria ad finem, inquit illa media ad finem malum, et ita vult tandem voluntas necessaria in particulari et praecipit intellectum ostendere in particulari quae necessaria sunt; intellectus igitur considerans in particulari, perfecte practicus circa ista, potest excaecari pro tanto quod intellectus non

F 416 AUGUST., *Enarrat. in Psalmos* ps. 118 sermo 8 n. 4 (CCL 40, 1689; PL 37, 1522): «Praevolat intellectus, et tarde sequitur et aliquando non sequitur humanus atque infirmus affectus»; sed melius *Glossa ordin.* Ps. 118, 20 (apud NICOLAUM DEL LYRA, III f. 264a): «Praevolat intellectus, sequitur nullus vel tardus affectus».

T ⁷⁴ seu angores. Vox tardioris latinitatis provenit a verbo «remordeo». ⁷⁵ scil. aliquam determinatam. ⁷⁶ De privative et contrarie oppositis cf. PETRUS HISPANUS, *Tractatus* tr. 3 n. 29 (p. 39-40).

habet finem statutum ad quem debet inquirere de mediis. Quando igitur voluntas praestituit sibi finem practicum malum, intellectus 445 negotiatur circa mala quae sunt media ad istum finem, quia sic praecipitur a voluntate: hoc est generare habitum excaecantem. Non autem intellectus errat circa ista media, sed illa diligenter quærit, et concludit circa ista media ad istum finem praestitutum a voluntate, ac si dictaret ista esse bona media; unde, licet in omnibus 450 dictat verum, est tamen inquisitio excaecativa. Unde praestituto fine ab habitu recto, inquirere vera media est prudentiae, – et praestituto fine a malo habitu, inquirere media est erroris. Sed intellectus nulla falsa dicit; unde intellectum excaecari, non est errare, sed procedens per media ad talem finem – licet nullum falsum dictat – ex- 455 caecatur.

72 Dices: habitus sic generatus in intellectu et non simul in voluntate, estne prudentia?

73 Dicendum⁷⁷: prudentia particularium⁷⁸ – stricte sumpta – est ad accipiendum media; ideo, ut virtus moralis, non est sine⁷⁹ morali virtute (intellectus enim arguit 'caste vivendum est, igitur in religione intrandum', et voluntas e converso dicit 'non'; arguit intellectus alio modo, et voluntas dicit 'sic' ubi malus finis, etc.); unde prudentia est de mediis ad finem rectum virtutis praestitutum; sic prudentia 460 est cum virtute morali. Unde prudentia praecedens castitatem non est prudentia moralis requisita ad castitatem. Unde prudentia practica – determinativa medii – est respectu finis, praestituti a virtute et voluntate virtuosa: sic non est prudentia sine virtute morali in voluntate. Alia enim est prudentia quae est habitus generatus in intellectu recte syllogizante, et tamen cum hoc voluntas male eligit; iste habi- 470

MB

459 Dicitur MB

T ⁷⁷ Loco «Dicendum», hic et infra lin. 476, codices, ob compendiorum similitudinem, tradunt «Dicitur». ⁷⁸ supple: operandorum. – Cf. ARISTOT., *Eth. Nic.* VI c. 8 (AL XXVI³ 261; Z c. 8, 1141b 14-15): «Neque enim prudentia [est consiliativa operandorum] universalium solum, sed oportet et [operanda] singularia cognoscere»; HENRICUS GAND., *Quodl.* V q. 17 in corp. (f. 189A-B): «Duplicem etiam est accipere prudentiam: unam, quae est ratio universalium principiorum operandorum..., aliam quae est experimentativa particularium operandorum... Secundum primum esse, determinat fines virtutibus et universalibus operandorum considerat... Secundum vero esse secundum, particularia determinat operandum circa materiam aliarum trium virtutum moralium». ⁷⁹ supple: alia.

tus est in intellectu prudentia, quia «recta ratio» etc.⁸⁰, – non tamen est prudentia moralis, quia inquit media tantum, non autem praefigit finem virtuti⁸¹.

Sed quid plus dico? Si syllogizatur 'recte vivendum⁸² est', an sit 74 habitus moralis vel non?

Dicendum quod est scientia moralis, et non prudentia.

Unde duplex differentia est inter ista duo⁸³: 75

Prima⁸⁴ est, quod⁸⁵ est ratio recta consona appetitui recto, VI *Ethicorum*⁸⁶; licet enim in intellectu aggeneratur habitus, quando tamen⁸⁷ est non confesse se habens appetitui recto, est scientia moralis, non prudentia. 480

Dices tunc quod est circulus, si sit concordia mutua ad reli- 76 quum habitum.

Dico quod requiritur mutua concordia: prudentia enim non di- 77 cit speciem qualitatis tantum, sed respectum ad aliud extra essentiam eius; sic si habitus moralis sit, ideo⁸⁸ mutua conformitas. 485

Sed contra hoc videntur esse argumenta superius facta contra 78 primam opinionem de connexione virtutum, quod idem sit prius se ipso et quod sit circulus in virtutibus⁸⁹, – quod non est verisimile:

MB

474 vivendum] videndum MB 476 Dicitur MB 479-480 tamen] enim MB 486 ideo] ratio MB

F 478-479 ARISTOT., *Eth. Nic.* VI c. 3 (AL XXVI³ 254; Z c. 2, 1139a 29-31): «Practici autem et intellectivi veritas [est] confesse [se] habens appetitui recto». 482 THOMAS, *Sententia libri Ethicorum* VI c. 2 (XLVII² 237): «Videtur autem hic esse quoddam dubium: nam si veritas intellectus practici determinatur in comparatione ad appetitum rectum, appetitus autem rectitudo determinatur per hoc quod consonat rationi verae..., sequetur quaedam circulatio in dictis determinationibus».

T ⁸⁰ Cf. *Auctoritates Aristotelis* 12, 112 (PhM XVII 240): «Prudentia est recta ratio agibilium»; cf. ARISTOT., *Eth. Nic.* VI c. 6 (AL XXVI³ 257; Z c. 5, 1140b 4-6): «Relinquitur ergo ipsam [scil. prudentiam] esse habitum verum cum ratione activum circa hominis bona vel mala». ⁸¹ Cf. DUNS SCOTUS, *Metaph.* VI q. 1 n. 68 (OPh IV 27): «Illa definitio [prudentiae] debet intelligi de ratione agibilium, id est directiva circa agibilia perfecte et immediate et in particulari. Sed scientia moralis est alio modo respectu agibilium, scilicet in universali, et insufficiens ex se ad dirigendum circa ista». ⁸² Loco «vivendum» codices, ob compendii similitudinem, tradunt «videndum». ⁸³ scil. inter scientiam moralem et prudentiam. ⁸⁴ Secunda, cf. infra n. 81. ⁸⁵ supple: prudentia. ⁸⁶ Cf. THOMAS, *Sententia libri Ethicorum* VI c. 2 (XLVII² 337a): «Bonum practici intellectus non est veritas absoluta, sed veritas confesse se habens, id est concorditer, ad appetitum rectum». ⁸⁷ Loco «tamen» codices tradunt «enim». ⁸⁸ Loco «ideo» codices tradunt «ratio». ⁸⁹ Cf. supra n. 31-34.

prudencia enim, ut est habitus moralis, non potest esse sine habitu 490
moralis, nec habitus moralis generatur sine prudentia, cum non est
virtus moralis sine prudentia; et tunc, habita illa qualitate intensa,
aggeneratur prudentia per dictamina aliqua, licet electio fiat in vo-
luntate.

79 Et potest qualitas illa – quae prius fuit in voluntate – dici virtus 495
per actum dictaminis recti sive ubi generatur virtus, quia prudentia
est regula virtutum, et non est regulatum sine regula. Sed non est si-
mile de aliis virtutibus quarum nulla est regula alterius: ibi enim est
inconveniens quod una generet – in quantum virtus – per actum
quo generetur alia (licet non sic hic, quia est regula aliarum). 500

80 Si quaeritur 'quid est prius, vel prudentia⁹⁰ vel virtus moralis?', –
dico: potest dici neutrum, sed habitus ille qui est prudentia, prior
est naturaliter habitu qui est virtus moralis; et tunc non est virtus ni-
si concordia sit.

81 Alio modo, prudentia non solum est dictativa veri agendi, sed di- 505
rigit in recte agendo, quae differunt sicut artifex et expertus. Sic ille
qui habet scientiam moralem, dicit quae agibilia sunt, et prudentia
sic dirigit circa agibilia, – et actus talis non generatur tunc sine habi-
tibus in voluntate.

82 Sed quid e converso? Generaturne habitus in voluntate, licet in- 510
tellectus erronee iudicet?

Dico: certum est hic quod non. Si enim qualitas talis esset virtus,
sive ratio sit erronea sive non, semper esset virtus; hoc autem fal-
sum: virtus enim addit super qualitatem conformitatem⁹¹ ad regu-
lam istam humanorum actuum. Ideo virtus est habitus conformiter 515
inclinans: non enim est habitus ut conformitas tantum, sed totum –
unde habitus ille – alteratur, non autem virtus, quae dicit 'ad ali-
quid', scilicet conformitatem ad aliud, ex VII *Physicorum*; sic intelligi-
tur Philosophus ibi⁹².

MB

501 prudentia] passiva MB 514 conformantem MB 518 ex] patet B

F 517-519 ARISTOT., *Physica* VII t. 17 (H c. 3, 246a 30-246b 26): «Virtus autem omnis
et malitia 'ad aliquid' sunt...; hoc autem neque generationes sunt, neque ipsorum genera-
tio est, neque omnino alterationes».

T ⁹⁰ Loco «prudentia» codices tradunt «passiva». ⁹¹ Loco «conformitatem» codices tra-
dunt «conformantem». ⁹² THOMAS, *Physica* VII lect. 5 n. 6 (II 340ab): «Dicuntur ergo huiusmo-

520

[C. – AD ARGUMENTA OPINIONIS HENRICI]

Ad primum⁹³ patet. 83

Ad secundum⁹⁴ etiam patet, quia alio tempore fiunt. 84

Ad aliud⁹⁵: corrumpit⁹⁶ aestimationem huius et facit inquirere 85
alio modo, quia si intellectus – ut practicus – movetur ad finem ma-
lum, et si tunc mala inquit media, non autem oportet quod erret⁹⁷
propter hoc, tamen dicitur intellectum errare⁹⁸ si inquirat.

[2. – DE CONNEXIONE OMNIUM VIRTUTUM MORALIUM

CUM UNA PRUDENTIA

a. – OPINIO HENRICI GANDAVENSIS

530

α. – OPINIONIS EXPOSITIO]

Modo de connexionione omnium virtutum cum una prudentia, di- 86
citur quod quaelibet connectitur cum sua prudentia⁹⁹, et etiam
una est prudentia in omnibus actibus moralibus etiam dirigens. Et
hoc confirmatur VI *Ethicorum*.

535 Sed quomodo est una prudentia dirigens circa materias omnium 87
virtutum¹⁰⁰?

Dicit quod est obiectum aliquod unum, ad quod omnia huius-
modi attribuuntur, et omnia illa cognoscuntur secundum unam

MB

525 erret] exerceret MB

F 531-534 HENRICUS GAND., *Quodl.* V q. 17 in corp. (f. 189F-190F-G): «De connexionione
vero moralium virtutum cum prudentia universalium dicit Philosophus VI *Ethicorum*: 'Tem-
perantiam hic appellamus nomine velut salvantem prudentiam', ubi 'temperantia' sumitur
communiter pro tribus virtutibus moralibus... Ut ergo prudentia universalium iam genera-
ta et perfecta retineat veram aestimationem principiorum, oportet quod sint omnes mora-
les virtutes cum ipsa..., ita quod semper naturaliter... prius generatur prudentia universalis
et augmentatur ex experientia particularium...; sed ipsa generata in voluntate, salvat et fir-
mat prudentiam prius generatam in ratione... Et per hunc modum prudentia universalis
connexa est virtutibus moralibus»; ARISTOT., *Eth. Nic.* VI c. 6 (AL XXVI³ 258; Z c. 5, 1140b
11-12). 537 HENRICUS GAND., *Quodl.* IX q. 4 in corp. (AMPh s. 2, XIII 92-94).

di dispositiones per relationem ad debitum opus, quod est optimum rei. Nec oportet exponere
'optimum' aliquid extrinsecum..., sed per se competit eis relatio quae est ad bonum opus».

T ⁹³ Cf. supra n. 49. ⁹⁴ Cf. supra n. 52. ⁹⁵ Cf. supra n. 53. ⁹⁶ supple: malitia.
⁹⁷ Loco «erret» codices tradunt «exerceret». ⁹⁸ scil. quod intellectus errat. ⁹⁹ scil. ut
dictum est supra n. 48. ¹⁰⁰ Sequentem opinionis expositionem (n. 87-89) et totius opinio-
nis improbationem (n. 91-101), et quidem ampliore sermone, iam praeberat DUNS
SCOTUS, *Metaph.* VI q. 1 n. 13-16. 17-30 (OPh IV 7-13).

rationem, – ut lineae est una scientia, tamen generatur ex multis actibus: primo enim habetur actus de quiditate lineae et principium, et ideo in illo generatur tota scientia habitus; post, alia principia, tamen idem habitus omnium quae prius; et quando conclusio habetur, adhuc idem habitus¹⁰¹.

88 Et dicit quod licet actus differens sit quia¹⁰² differunt sicut obiectum, tamen habitus est unus, sicut albedo, – sed differentia est quia albedo generatur uno actu et temperantia multis conformibus actibus¹⁰³.

89 Cofirmatur sic:

Quando conclusio cognoscitur, principium perfectius cognoscitur, – igitur idem habitus; sed isti gradus habitus differunt secundum rationem; ideo non est compositio huius intensi sicut nec infirmi. Et augetur¹⁰⁴ ex consideratione multorum et frequenti consideratione unius¹⁰⁵.

90 Sic prudentia, cum considerat bonum humanum agibile et bona diversa sub illa una ratione, erit unus habitus.

[β. – OPINIONIS IMPROBATIO]

91 Contra:

Actus est naturaliter generativus¹⁰⁶ habitus, quia naturaliter relin-

MB

558 generativus] generatus per MB

F 544 HENRICUS GAND., *Quodl.* IX q. 4 in corp. (AMPh s. 2, XIII 95): «Non est minor simplicitas in habitu scientiae metaphysicae, in quocumque gradu habeat eam aliquis, quam in habitu temperantiae et quam in albedine, – ita quod per primum actum generativum habitus habetur tota realitas habitus, quemadmodum ex primo actu generativo albedinis habetur tota realitas albedinis, licet in gradu imperfectissimo... [Ex formis recipientibus magis et minus, sunt] quaedam quae nonnisi ex actibus conformibus eisdem secundum speciem generantur et augmentantur, ut sunt illae quae sunt naturales, puta albedo... aut lumen...». 548 Ibid. (p. 98): «Et omnibus mediis augmentatur habitus in suis actibus, sed non nisi secundum intensionem et remissionem, semper intenso et remisso existente eodem simplici secundum rem, differente solum secundum rationem... Cumque habitus fuerit generatus, ex ipso habent elici actus consimiles eis ex quibus est generatus, et in singulis intenditur habitus, ut perfectius cognoscantur tam principia quam conclusiones: principia enim perfectius cognoscuntur cum ex ipsis cognoscuntur conclusiones elicite, et conclusiones perfectius cogno-

T ¹⁰¹ Cf. DUNS SCOTUS, *Metaph.* VI q. 1 n. 13 et n. 38 (OPh IV 7-8. 15). ¹⁰² supple: illi actus. ¹⁰³ Cf. DUNS SCOTUS, *Metaph.* VI q. 1 n. 14 (OPh IV 8). ¹⁰⁴ supple: habitus. ¹⁰⁵ Cf. DUNS SCOTUS, *Metaph.* VI q. 1 n. 15-16 (OPh IV 8). ¹⁰⁶ Loco «generativus», prout sensus requirit, codices tradunt «generatus per»; cf. nota sequens.

quit suam similitudinem in passo; sed diversarum specierum naturaliter agentium sunt diversae similitudines naturaliter¹⁰⁷.

Si dicas 'habitus¹⁰⁸ intellectus potest generari ex actibus difformibus'¹⁰⁹, – igitur voluntas potest magis inclinare assentiendo actibus circa diversa obiecta specie quam intellectus; igitur unus habitus moralis tantum¹¹⁰!

565 Item, VI *Ethicorum*, scientia est alius habitus ab intellectu; sed alii 93 aliqui habitus, qui sunt species generis propinquioris, sunt magis impossibiles, licet non magis distincti: alius enim non est magis ut sunt compossibiles simul; igitur impossibilius est habitum unum esse scientiam et intellectum quam scientiam et opinionem: intellectus 570 enim et scientia respiciunt obiectum in quantum verum evidens; igitur non est alia evidentia formaliter ibi et alius habitus. Huiusmodi est evidentia conclusionis et principii, quas secundum rationes formales ista duo respiciunt¹¹¹.

Item, cum cognitione principiorum geometriae stat ignorantia 94 conclusionis geometriae; igitur habitus principiorum non est habitus conclusionis, quia si – conclusione ignorata – ignorantia dispositionis habitus impossibilis isti habitui generabitur ut sit scientia, habitus conclusionis principii non est impossibilis illi, quia prius stetit cum isto¹¹².

580 Dicit: idem¹¹³ realiter potest esse et non esse, differens secundum respectum et modum. 95

Contra: tunc homo est asinus, quia licet irrationalis sit asinus et 96 homo rationalis, magis tamen est non esse hoc quam non habere modum illius; igitur si est compossibilis habitui ignorantiae conclu-

MB

559 sed] si MB 582 irrationalis] i. modalis MB 583 tamen est] enim est t. MB

scuntur cum cognoscuntur in principia resolutae; et unum principium perfectius cognoscitur iuxta alterum cognitum, et una conclusio iuxta alteram, et singula cognita iuxta singula».

F 565 ARISTOT., *Eth. Nic.* VI c. 4 (AL XXVI³ 255; Z c. 3, 1139b 15-17): «Sunt utique quibus verum dicit anima, affirmando vel negando, quinque secundum numerum: haec autem sunt ars, scientia, prudentia, sapientia, intellectus». 580 HENRICUS GAND., *Quodl.* IX q. 4 in corp. (AMPh s. 2, XIII 92).

T ¹⁰⁷ Cf. DUNS SCOTUS, *Metaph.* VI q. 1 n. 17 (OPh IV 9): «actus naturaliter est generativus habitus» etc. ¹⁰⁸ Loco «habitus», quod verbum sensus et textus Henrici requirunt, codices tradunt «actus». ¹⁰⁹ Cf. supra n. 88. ¹¹⁰ Cf. LOMBARDUS, *Sent.* III d. 36 c. 1 n. 1-2 (SB V 202). – Cf. DUNS SCOTUS, *Metaph.* VI q. 1 n. 18 (OPh IV 9). ¹¹¹ Cf. DUNS SCOTUS, *Metaph.* VI q. 1 n. 19-20 (OPh IV 9-10). ¹¹² Cf. ibid. n. 21-22 (p. 10). ¹¹³ supple: habitus.

sionis habitus principii et oportet ut sciat conclusionem habere habitum impossibilem habitui illi ignorantiae, idem erit compossibilis illi et impossibile¹¹⁴.

97 Item, ex habitu intenso perfectius agere potest quis quam ex remisso, quia sicut ratio primi obiecti perfectius perficit, ita ratio alterius; igitur si habitus principiorum intenditur quia scio conclusiones¹¹⁵, – dum addisco principium secundi libri¹¹⁶ *Geometriae*, perfectius intelligam conclusiones primi libri¹¹⁷. Hoc falsum, quia non perfectius considero illa, sed minus; igitur ille habitus non sic augmentatur¹¹⁸.

98 Item, in quocumque habente gradus, ita est quod gradus imperfectus non potest esse causa gradus perfectioris; sed in gradibus habituum ita est, quod habitus cognoscendi primum vel principium¹¹⁹ est causa gradus cognitionis conclusionis; igitur etc. – Probatio minoris: priora principia magis cognoscimus quam conclusiones, quia «unumquodque propter quid, et illud propter quod magis»¹²⁰; hoc non valet nisi in causis effectivis; cum igitur principium sit causa effectiva conclusionis, igitur¹²¹.

99 Dicit: additum seu 'habitus ut respicit conclusionem' est imperfectior habitu principii, non tamen totum¹²² est imperfectius¹²³.

100 Contra: prius¹²⁴ dicitur quod iste habitus conclusionis et principii est simplex, differens secundum rationem; igitur non est distinctio realis graduum¹²⁵.

MB

591 secundum libri] nullum MB

F 603 HENRICUS GAND., *Quodl.* IX q. 4 in corp. (AMPh s. 2, XIII 96-97).

T ¹¹⁴ Pro textu n. 95-96 cf. DUNS SCOTUS, *Metaph.* VI q. 1 n. 23 (OPh IV 10-11).

¹¹⁵ Cf. supra n. 89. ¹¹⁶ Loco «secundi libri» codices, ob similitudinem compendii, tradunt «nullum».

¹¹⁷ Euclidis *Geometria*, una ex quattuor sic dicti Quadrivii disciplinis, dividitur in tredecim libros (quibus posterius alii duo additi sunt). Cf. BUSARD H. L. L., *The Latin Translation of the Arabic Version of Euclid's 'Elements' commonly ascribed to Gerard of Cremona*, Leiden 1984. ¹¹⁸ Cf. DUNS SCOTUS, *Metaph.* VI q. 1 n. 24-25 (OPh IV 11). ¹¹⁹ Cf. ARISTOT., *Anal. post.* I c. 2 (AL IV¹ 8; A c. 2, 72a 6-7): «Idem enim dico primum et principium».

¹²⁰ Ibid. (p. 9; lin. 29-30): «Semper enim propter quod est unumquodque, illud magis est».

¹²¹ Cf. DUNS SCOTUS, *Metaph.* VI q. 1 n. 27 (OPh IV 11-12). ¹²² scil. tam habitus principii quam gradus eidem additi per actus cognoscendi successivos. ¹²³ Cf. DUNS SCOTUS, *Metaph.* VI q. 1 n. 28 (OPh IV 12).

¹²⁴ Cf. supra n. 87-89. ¹²⁵ Cf. DUNS SCOTUS, *Metaph.* VI q. 1 n. 29 et n. 37 (OPh IV 12. 14-15).

Item, in quacumque qualitate sunt gradus superior et inferior, inter illos est ordo essentialis, ita quod superior continet et inferior¹⁰¹ rem, – nec potest decimus gradus esse sine primo, quia continet illum et non e converso; igitur non potest habere gradum conclusionis decimae positae, nec potest ille gradus causare habitum scientiae nisi prius habeat gradum omnium conclusionum praecedentium. Igitur non potest iste habitus esse decimae conclusionis nisi esset prius omnium conclusionum praecedentium (hoc est falsum quandoque, quando scilicet una conclusio non dependet ex aliis)¹²⁶.

[b. – OPINIO PROPRIA]

Dico igitur: sicut ars factibile ab homine respicit, ita prudentia agibile, – et sicut una ratio in agibili est, ita et in factibili; igitur sicut artes distinguuntur secundum factibilia, sic prudentia¹²⁷ secundum agibilia; ideo non connectuntur necessario in una prudentia.

Ideo tot sunt habitus scientiae quot scibilia complexa ad quae inclinant:

Si scientia est habitus inclinans ad verum complexum, dico: habitus geometriae est unus, et habitus virtutum est unus, inclinans virtualiter ad conclusiones omnes; et iste est habitus inclinans formaliter ad considerationem habitus incomplexi, ut lineae. Sed inclinans formaliter ad illas conclusiones, est habitus diversus et diversus; unde habitus inclinantes formaliter ad vera complexa, evidentia ex terminis sive evidentia ex aliis, tot sunt quot sunt evidentia ex terminis vel ex aliis, cum habent ordinem ad invicem (quem non habent ad conclusiones astronomiae); sunt tamen habitus unus causaliter. Sic habitus principiorum respectu diversorum complexorum sunt diversi.

Unde prudentia, id est habitus inclinans ad speculandum verum complexum agibile, evidens ex terminis vel ex aliis, – sic tot sunt quot evidentia sic et sic¹²⁸.

Qualiter tunc dicis quod est una?

105

MB

634 diversa MB

T ¹²⁶ Cf. DUNS SCOTUS, *Metaph.* VI q. 1 n. 30 (OPh IV 12-13). ¹²⁷ supple: distinguitur ab aliis habitibus seu virtutibus. ¹²⁸ id est: isti habitus prudentiae tot sunt quot sunt vera complexa evidentia sic et sic.

Dico: sicut virtus moralis, sic est una prudentia quae est de primo principio practico quod est de lege naturae; similiter, quia est de uno obiecto primo, in quo scilicet continentur virtualiter omnes conclusiones istae sequentes, sicut si est unus habitus practicus.

106 De secundo articulo¹²⁹ patet, quia in illo¹³⁰ connectuntur virtualiter sicut incomplexa, et est sic unus, sicut patet prius qualiter scientia est de pluribus unus habitus (ut scientia geometriae¹³¹). 645

Ideo illa¹³² ratio opinionis contrariae supponit falsum, scilicet quod principium perfectius intelligitur in se quando conclusio intelligitur¹³³, – cuius contrarium patet supra de scientia geometrica¹³⁴.

107 Item, illud de secundo articulo¹³⁵: contra Philosophum, plures prudentiae sunt plures temperantiae species, scilicet intermediae; unde non negatur¹³⁶ de pluribus prudentiis sicut nec de temperantiis, si ponuntur plures. 650

108 Sed quae est illa prudentia una quae inest?

Dico: uni secundum formam, id est habitui de primo principio agibili omnes virtutes inerunt non¹³⁷ formaliter, sed virtualiter, scilicet inclinatione naturali, in qua sunt omnes virtutes virtualiter (sicut in una prudentia omnes prudentiae), – secundum genus unitae non perfectione intensionis, sed extensionis, scilicet circa omnes materias communes. 655

[C. – AN VIRTUTES MORALES NECESSARIO SINT CONNEXAE
CUM VIRTUTIBUS THEOLOGICIS] 660

109 Nunc, in tertio articulo, videndum est an – ut omnes virtutes sint perfectae – requiritur quod connectantur cum virtutibus theologis¹³⁸.

110 Quod sic: 665
Augustinus, *Contra Iulianum* libro IV cap 2, dicit quod non

MB

644 patet om. B 646 illa] prima MB 655] non] si MB

F 666 AUGUST., *Contra Iulianum pelagianum* IV c. 3 n. 17 (PL 44, 745): «Absit ut sit in

T ¹²⁹ Cf. supra n. 86. ¹³⁰ scil. in obiecto uno primo (n. 105), virtutes. ¹³¹ Cf. supra n. 103. ¹³² Loco «illa» codices, ob simile compendium, tradunt «prima». ¹³³ Cf. supra n. 89. ¹³⁴ Cf. supra n. 94. ¹³⁵ Cf. supra n. 86, et ibi allegatio verborum Philosophi in apparatu F. ¹³⁶ supple: connexio. ¹³⁷ Loco «non» codices, ob simile compendium, tradunt «si». ¹³⁸ Cf. supra n. 10.

sunt virtutes sine caritate¹³⁹. Et probat hoc, quia sicut perfectio naturalis disponit ad naturalem¹⁴⁰, ita aliae virtutes ad caritatem etc.

Tunc, ultra arguendo: huius virtutis finis est gloriatio in Deo; 111
670 sed non habens caritatem, non gloriatur in Deo; igitur etc.

Dico hic: sicut una virtus moralis est perfecta virtus sine alia moralis, ita etiam sine caritate; unde Augustinus *De patientia* (et est 49 partis 2¹⁴¹ 'De poenitentia' distinctione 3): 'Quamvis si aliquis schismaticus vel haereticus – ut non neget Christum – patitur mortem, in eo laudanda est patientia'; igitur habet laudabilem patientiam et fortitudinem sine caritate.

Item, aliqua quae ordinantur essentialiter, ut dispositio ad formam ad quam potest dispositum, dispositio in se potest esse perfec-

MB

669 fines M* 671 est om. B 673 2] et MB

aliquo vera virtus nisi fuerit iustus; absit autem ut sit iustus vere nisi vivat ex fide»; n. 21 (col. 749): «Verae quippe virtutes Deo serviunt in hominibus»; n. 31 (col. 754): «Fides... per dilectionem operatur [cf. Gal. 5, 6]».

F 667 AUGUST., *Contra Iulianum pelagianum* IV c. 3 n. 18-19 (PL 44, 747): «Recte admoniti sumus [cf. Prov. 2, 1-12] sic amare sapientiam, ut eam nobis thesaurizare avidissime cupiamus, atque a nobis magis magisque acquiratur nec aliqua ex parte minuatur, et perferamus molestias et libidines refrenemus et prospiciamus in posterum et innocentiam beneficentiamque servemus. Quod cum facimus, ideo veras virtutes habemus, quia verum est propter quod facimus, id est hoc naturae nostrae consentaneum est ad salutem et veram felicitatem... Ideo iustus ex fide vivit: ex hac enim fide prudenter, fortiter, temperanter et iuste, ac per hoc his omnibus veris virtutibus recte sapienterque vivit, quia fideliter vivit... ad consequendam veram beatitudinem, quam nobis immortalis fides quae in Christo est vera promittit». 669 Ibid. n. 15 (col. 744): «In quo enim vis, [Iuliane], hominem... ad aliquid laudabile generosi cordis stimulis incitari, in hoc eum non vis in Domino, sed in libero arbitrio gloriari»; n. 17 (col. 746): «Quomodo sunt vere iusti quibus vilis est humilitas veri iusti? Quo enim propinquaverunt intelligentiā, inde superbiā recesserunt: 'quia, cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis...: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt' [Rom. 1, 21-22]... Porro si veram iustitiam non habent impii, profecto nec alias virtutes comites eius et socias – si quas habent – veras habent, quia cum non ad suum referuntur Auctorem dona Dei, hoc ipso mali, his utentes, efficiuntur iniusti». 672 AUGUST., *De patientia* c. 26 n. 23 (CSEL 41, 687-688; PL 40, 623): «Si quis autem non habens caritatem..., in aliquo schismate constitutus, ne Christum neget, patitur tribulationes..., tormenta..., vel ipsam crucem..., nullo modo ista culpanda sunt, immo vero et haec laudanda patientia est»; GRATIANUS, *Decretum* pars 2 d. 3 c. 49 (CIC I 1228).

T ¹³⁹ Hoc clarius dicit AUGUST., *De sententia Iacobi* c. 3 n. 11 (CSEL 44, 599; PL 33, 738): «Cur ergo non dicimus, qui hanc virtutem [scil. caritatem] habet, habere omnes, cum 'plenitudo Legis sit caritas' [Rom. 13, 10]?». ¹⁴⁰ supple: felicitatem. ¹⁴¹ Loco «2» codices, ob fere identicum scribendi modum, tradunt «et».

ta antequam ista forma sit; ergo cum istae virtutes sint dispositiones hominis ad felicitatem et ad supernaturales virtutes, igitur etc.¹⁴².

114 Item, definitio virtutis¹⁴³ convenit eis, licet non coniugantur supernaturalibus.

115 Ad Augustinum¹⁴⁴: "non officiis autem, sed finibus"¹⁴⁵; sicut enim non est prudentia, sed habitus prudentiae et excaecans qui ita ordinate requirit media ad malum finem praestitutum¹⁴⁶, sic Epicurus posuit finem hominis esse voluptatem, et intellectus¹⁴⁷ requirens media ordinata ad illud¹⁴⁸, tamen opponitur prudentiae. Nec fortitudo avari, ut huiusmodi, non¹⁴⁹ est virtus quae est propter malum finem: unde¹⁵⁰ ita patitur triste, sicut et fortiter virtuosus. Sed virtus moralis respicit finem rectum immediate, prudentia mediate et requirit media ordinata; et ideo virtus est ad finem rectum, qui est actus rationis, qui est finis immediatus virtutum. Dico tunc: non est virtus nisi habeat rectam intentionem; et dico quod virtutes morales per se, sine caritate, non perducunt ad ultimum finem, nec possunt; tamen perducunt ad finem, nec habent finem malum, – nec tamen habent finem ultimum necessarium, nec possunt habere sine adiutorio alterius¹⁵¹; ideo pro tanto non sunt verae virtutes.

116 Ad aliud¹⁵²: non vere gloriatur, quia¹⁵³ non perducunt ad finem ultimum.

MB

683 officiis] notitiis MB | sensibus] finibus MB 698 gloriantur MB

F 685-686 Epicuri sententiam sic refert CICERO, *De finibus bonorum et malorum* I c. 9 (III 494b): «Quaerimus igitur quid sit extremum, quid ultimum bonorum... Hoc Epicurus in voluptate ponit, quod summum bonum esse vult, summumque malum [esse] dolorem»; c. 18 (p. 502ab): «Clamat Epicurus... non posse iucunde vivi nisi sapienter, honeste, iusteque vivatur, – nec sapienter, honeste, iuste, nisi iucunde». Sic autem Epicuri sententiam contrahit AUGUST., *Contra Iulianum pelagianum* IV c. 3 n. 21 (PL 44, 749): «Virtutes Epicurus induxit voluptatis ancillas, quae omnino quidquid facerent, propter illam vel adipiscendam facerent vel tenendam».

T ¹⁴² id est: igitur possunt esse sine caritate. ¹⁴³ Cf. supra d. 33 n. 39. ¹⁴⁴ Cf. supra n. 110. ¹⁴⁵ AUGUST., *Contra Iulianum pelagianum* IV c. 3 n. 21 (PL 44, 749): «Noveris itaque non officiis, sed finibus, a vitiis discernendas esse virtutes. Officium est autem quod faciendum est, finis vero [est id] propter quod faciendum est». – Loco «officiis... finibus» codices tradunt «notitiis... sensibus». ¹⁴⁶ Cf. supra n. 71-73. ¹⁴⁷ supple: est. ¹⁴⁸ scil. ad voluptatem. ¹⁴⁹ Hic habetur duplex negatio («Nec... non»), quae tamen vim negativam servat, quod ceterum saepius apud Duns Scotum occurrit; cf. editio nostra, XVII 454³. ¹⁵⁰ supple: avarus. ¹⁵¹ supple: virtutis (nempe caritatis). ¹⁵² Cf. supra n. 111. ¹⁵³ id est: 'non habens caritatem' non vere gloriatur, quia virtutes morales sine caritate.

700 Sed quod non sit necessaria connexio moralium virtutum ad theologicas quantum ad actus, manifestum est in parvulis baptizatis, in quibus infunduntur omnes virtutes theologicae.

Item, de virtute acquisita patet idem, quia 'iste' primo fuit vitiosus, conversus autem habet virtutes theologicas et est iustificatus, – tamen habitus manent vitiorum, adhuc inclinantes ad actum, cum non sint pure adhuc separati, nec etiam adhuc insunt sibi virtutes acquisitae, quia cum difficultate operatur adhuc bonum, contrarium habitui vitioso, sicut prius.

Item, cum nulla virtus ordinet actum suum nisi in finem possibilem per naturam attingi, et ad hoc sufficit habitus acquisitus, scilicet prudentia acquisita quoad omnes circumstantias perficientes actus virtutis, scilicet determinando eas et inclinando¹⁵⁴ eas, nec illud quod ultra requiritur – ut scilicet sit actus meritorius – potest habere nisi per caritatem, igitur eius est referre actum in finem ultimum; igitur etc.

Sed quid de virtutibus moralibus infusis, an oportet esse, ut in parvulis? Quomodo? An virtutes morales sint infusae?

Multa dicuntur de hoc.

Dico: si virtutes morales sufficienter inclinant in fines suos et hu-

MB

712 inclinando] includendo MB

F 718 THOMAS, *Summa theol.* I-II q. 65 a. 2 in corp. (VI 423b): «Secundum autem quod sunt operativae boni in ordine ad ultimum finem supernaturalem, sic [virtutes morales] perfecte et vere habent rationem virtutis, et non possunt humanis actibus acquiri, sed infunduntur a Deo. Et huiusmodi virtutes morales sine caritate esse non possunt»; a. 3 in corp. (p. 424b-425a): «Cum caritate simul infunduntur omnes virtutes morales... Manifestum est autem quod caritas, in quantum ordinat hominem ad finem ultimum, est principium omnium bonorum operum quae in finem ultimum ordinari possunt; unde oportet quod cum caritate simul infundantur omnes virtutes morales, quibus homo perficit singula genera bonorum operum. Et sic patet quod virtutes morales infusae non solum habent connexionem propter prudentiam, sed etiam propter caritatem»; *Sent.* III d. 33 q. 1 a. 2 qc. 3 in corp. (ed. Parmen. VII 353a); d. 36 a. 2 in corp. (p. 416b); *De virtutibus in communi* a. 10 in corp. (ed. Parmen. VIII 567a); ad 8 (p. 568ab): «Temperantia infusa et acquisita conveniunt in materia: utraque enim est circa delectabilia tactus; sed non conveniunt in forma effectus vel actus: licet enim utraque quaerat medium, tamen alia ratione requirit medium temperantia infusa quam temperantia acquisita, nam temperantia infusa exquirat medium secundum rationes legis divinae, quae accipiuntur ex ordine ad ultimum finem, temperantia autem acquisita accipit medium secundum inferiores rationes, in ordine ad bonum praesentis vitae».

T ¹⁵⁴ Loco «inclinando» codices tradunt «includendo».

manos (quod est idem), et prudentia dirigit circa media in acquirando illos fines¹⁵⁵, et caritas ultima ad ultimum finem, igitur – secundum hoc – homo potest simpliciter esse perfectus sine moralibus infusis. Et sic non necesse est ponere infusas propter medium, quia ad hoc valet prudentia, – nec propter finem ultimum, quia ad hoc sufficit caritas: nec enim temperantia infusa, si poneretur, alium finem acquireret¹⁵⁶.

123 Dicit: istae virtutes erunt in patria, et angelus potest acquirere eas, vel Deus potest eas infundere; igitur parvulus habebit eas, – igitur et virtutes infusas in baptismo, quia non potest acquirere eas cum non habeat usum rationis ante mortem, si cito contingit eum mori; igitur etc.

124 Dicendum: possunt haberi¹⁵⁷ in patria et possunt non haberi. Habemus enim cognitionem rerum in Verbo et in genere proprio; sic duplex potest dici volitio boni humani, scilicet volitio eius in Verbo¹⁵⁸. Sic est simplex homo perfectus, licet non habeat habitum nec actum illius in genere proprio (sicut licet non habeat scientiam rerum in genere proprio, dummodo habeat scientiam earum in Verbo). Unde plus credo quod non habet virtutes morales infusas et baptiza-

MB

723 medium] m. vel meritum MB 732 Dicunt MB | habere MB

F 727 THOMAS, *Summa theol.* III q. 69 a. 6 in corp. (XII 110b): «Pueri, sicut et adulti, in baptismo efficiuntur membra Christi; unde necesse est quod a Capite recipiant influxum gratiae et virtutis..., quia... pueri decedentes post baptismum non pervenirent ad vitam aeternam... Impotentia operandi [actus virtutis] non accidit pueris ex defectu habituum, sed ex impedimento corporali»; I-II q. 67 a. 1 in corp. (VI 438b): «Quantum ad id quod est formale, [virtutes morales] remanebunt in beatis perfectissimae post hanc vitam, in quantum ratio uniuscuiusque rectissima erit circa ea quae ad ipsum pertinent secundum statum illum»; *Sent.* IV d. 4 q. 2 a. 2 qc. 1 in corp. (ed. Parmen. VII 514b): «Si pueris ante mortem non fuissent collatae virtutes et gratia operans et cooperans, nec in morte eis conferrentur, et sic non salvarentur, – quod falsum est... Si puer in furiam verteretur antequam ad perfectam aetatem veniret, numquam in ipso potentiae solverentur, et ita numquam virtutes explicite haberet... Et ideo pueris in baptismo dantur gratia et virtutes, sed habitus illi ligati sunt propter pueritiam»; III d. 33 q. 1 a. 4 in corp. (p. 356b): «Remanebunt [in patria] istis virtutibus [infusis] actus qui sunt circa finem proximum uniuscuiusque virtutis, et ideo remanebunt habitus virtutum moralium infusarum»; ad 5 (p. 356b-357a): «Istae virtutes [morales] sunt in angelis alio modo quam in hominibus, etiam in patria... in angelis... sunt sicut exemplares, in hominibus autem sicut virtutes purgati animi in patria».

T ¹⁵⁵ Cf. supra n. 71. ¹⁵⁶ Cf. HENRICUS GAND., *Quodl.* VI q. 12 in corp. (AMPh s. 2, X 140-142). ¹⁵⁷ Loco «Dicendum... haberi» codices tradunt «Dicunt... habere». – Prout ex toto contextu patet, hic Duns Scotus suam sententiam profert. ¹⁵⁸ Cf. DUNS SCOTUS, *Lectura* III d. 14 n. 127-131 (XX 347-348).

tus; tamen quando est beatus, volitione istorum bonorum humanorum in Verbo erit perfectus, licet non habeat volitionem boni humani in se quod respicit virtus moralis (sicut patet de scientia rerum in Verbo: non habet tunc acquisitam scientiam hic, similiter nec scientiam infusam in baptismo).

Ideo sicut in beatitudine potest Deus dare sibi¹⁵⁹ scientiam rerum in genere proprio, sic volitionem bonorum humanorum in se, – tunc et infundere¹⁶⁰ virtutes morales, licet non infundat eas illo modo in baptismo.

Similiter, licet sit beatus, potest habere scientiam acquisitam rerum; unde angelus, qui videt¹⁶¹ res in proprio genere, potest dicere illa sibi, et ipsi credet¹⁶² necessario, quia scit hoc verum esse quod dicit sibi angelus, qui tamen¹⁶³ non ea videt in genere proprio sicut angelus videt. Sic hic, de virtutibus acquisitis: cum virtus merentis duplicem habet actum – unum ‘velle’ habet, seu potest habere, licet nulla materia sit circa quam sit virtus, alium actum habet imperatum circa materiam existentem – quantum ad primum¹⁶⁴ actum non possunt virtutes acquiri nisi in habentibus passiones, quantum ad secundum actum possunt in via et in patria.

[D. – AN VIRTUTES THEOLOGICAE

NECESSARIO SINT CONNEXAE INTER SE]

760 Sed quantum ad quartum articulum quaeritur, scilicet de virtutibus theologicis inter se¹⁶⁵, – dico quod possunt dici non habere connexionem ex causa sua. Si tamen considerantur ex causa, quia nemo est necessario causans, sic una potest esse sine alia, quia una non potest esse receptiva alterius; ideo non est contradictio quin 765 Deus de potentia absoluta posset causare unam sine alia et infundere; sed de potentia ordinata non sic infundit, quia ita perficit hominem quod integre perficit, – et ideo omnes simul infundit.

MB

749 vidit MB 751 vidit MB 752 vidit MB 755 primum] istum MB 762-763 nemo] non MB

T ¹⁵⁹ scil. beato. ¹⁶⁰ supple: potest. ¹⁶¹ Loco «videt», hic et bis statim infra, codices tradunt «vidit». – Cf. DUNS SCOTUS, *Lectura* III d. 14 n. 127 (XX 348): «angeli qui vident Verbum, cognoscunt res in genere proprio». ¹⁶² id est: potest dicere illa beato, et beatus ipsi angelo credet. ¹⁶³ scil. qui tamen beatus. ¹⁶⁴ Loco «primum» codices, ob simile compendium, tradunt «ipsum». ¹⁶⁵ Cf. supra n. 10.

128 Sed quid quantum ad naturam habituum¹⁶⁶?

Dico: non oportet quod connexae sint, quia non est contradicito quod caritas sit sine aliis duobus, ut patet in patria et in Christo (in quo fuit¹⁶⁷ caritas sine aliis), nec¹⁶⁸ e converso, sicut in peccantibus in via, – sicut desperans, si potest corrumpere spem meritoriam, credit tamen: non enim est infidelis nisi implicite, cum Deus statuit quod peccans mortaliter amittit caritatem, sed non fidem nec spem; si tamen peccans sit desperatione et infidelitate¹⁶⁹, amittit spem et fidem.⁷⁷⁵

129 Ideo modo est ita, quod caritas si inest, fides et spes insunt, non e converso.

130 Huius autem congruitas potest sic assignari, quia congruit intellectum perfici supernaturaliter et voluntatem, ut – affectione commodi¹⁷⁰ – ad perfectionem maximam non congruit ista imperfectiora subtrahi. Unde quantum ad connexionem connectuntur ex liberalitate divina, *De poenitentia* distinctione 3 cap. «Sunt plures»¹⁷¹; non¹⁷² autem quantum ad existentiam, nec ex se necessario in infusione: quia caritas est sine aliis in patria, sunt et aliae sine caritate in via, – et sic posset Deus infundere¹⁷³.

131 Sed possuntne fides et spes esse virtutes verae sine caritate?

Glossa ad Gal. *Fructus Spiritus*¹⁷⁴ etc.: dicitur quod caritas perficit virtutes. Unde non sunt formatae, id est Deo gratae, in esse primo et secundo¹⁷⁵ et ordinatae in finem sine caritate (in quantum caritas ordinat, requiritur ad omnes).

MB

768 habituum] humanam MB 771 fuit] sit MB 775 fidelitate MB 780 ut] et B
783 Sunt plures] Sed quod MB 788 Spiritus] spei MB

F 783 GRATIANUS, *Decretum* pars 2 d. 3 c. 42 (CIC I 1225): «Sunt plures quos poenitet peccasse, reservantes sibi quaedam in quibus delectentur, non animadvertentes Dominum simul mutum et surdum a daemonio liberasse [Marc. 9, 16-26]. Per hoc docet nos numquam nisi de omnibus sanari». 788 LOMBARDUS, *In epist. ad Gal.* 5, 22-26 (PL 192, 160): «Attende quod in enumeratione fructuum Spiritus, caput virtutum praemisit, id est caritatem..., sine qua virtutes ceterae non reputabuntur esse virtutes et ex qua nascuntur universa bona... Merito igitur caritatem sic saepe commendat, quasi sola sit praecipienda, quae non potest haberi sine ceteris, quibus homo efficitur bonus»; Gal. 5, 22.

T¹⁶⁶ scil. habituum fidei, spei et caritatis. – Loco «habituum» codices tradunt «humanam». ¹⁶⁷ Loco «fuit» codices tradunt «sit». ¹⁶⁸ supple: est contradictio. ¹⁶⁹ Loco «infidelitate» codices tradunt «fidelitate». ¹⁷⁰ De «affectione commodi» cf. DUNS SCOTUS, *Ordinatio* II d. 6 n. 40 (VIII 43). ¹⁷¹ Loco «sunt plures» codices tradunt «Sed quod». ¹⁷² supple: connectuntur. ¹⁷³ scil. unam sine aliis. ¹⁷⁴ Loco «spiritus» codices tradunt «spei». ¹⁷⁵ scil. in actu primo et secundo (cf. infra n. 133). – De actu primo et secundo cf. editio nostra, XVI 398².

Unde dico: fides et spes, ut sunt virtutes in speciebus suis, non tantum ut sunt habitus, non requirunt caritatem; sed ut sint formatae, requiritur¹⁷⁶.

795 Sic requiritur¹⁷⁷ de moralibus: non enim est virtus quantum ad actum primum formata quin sit accepta Deo, et ut sic – scilicet formata – eliciendo actum (ut si actus secundus sit acceptus Deo, hoc non est sine caritate).

De habitibus intellectualibus non oportet esse connexionem nisi in ordinatis¹⁷⁸; aliter non connectuntur¹⁷⁹ prudentiae nec e converso; sed quando unum dependet ab alio, ut scientia ab intellectu, tunc connectuntur.

[II. – AD ARGUMENTA PRINCIPALIA UTRIUSQUE PARTIS]

Ad duo prima argumenta principalia¹⁸⁰, concedo: virtutes morales inter se non connectuntur.

Ad alia duo¹⁸¹: habitus intellectualis generatur, sed non est prudentia.

Ad aliud¹⁸²: ad habitum generatum, licet sit qualitas absoluta quae generaretur si non inesset prudentia, tamen¹⁸³ modo non est virtus, quia non est electiva medii secundum rectam rationem. Ideo conformitas ad regulam, scilicet ad rectam rationem, est essentielle virtuti; quod si non inesset, non inesset virtus, nam virtus est 'unum per accidens' includens illa duo: habitus enim ille absolutus non est virtus, quia potest stare sine rectitudine et conformitate ad regulam; similiter, si illa sola conformitas ad regulam est virtus una, esset virtus moralis tantum in voluntate, quia amicitia sufficit ad inclinandum¹⁸⁴ ad concordandum tecum. Sed habens virtutem, non solum habet ut concordat prudentiae tantum, sed cum hoc aliquid habet in quo delectabiliter operatur illud genus operis; igitur habet ali-

MB

795 moribus MB 796 acceptata MB 799 nisi *rep. post* connectuntur (800) M⁺
800 connectitur MB 802 connectitur MB 816 tantum *rep. ante* virtus (815-816) MB

T¹⁷⁶ supple: caritas. ¹⁷⁷ supple: caritas. ¹⁷⁸ ex. gr. in habitibus principiorum et conclusionum. ¹⁷⁹ Loco «connectuntur», hic et statim infra, codices tradunt «connectitur». ¹⁸⁰ Cf. supra n. 2-3. ¹⁸¹ Cf. supra n. 4-5. ¹⁸² Cf. supra n. 6. ¹⁸³ supple: illa qualitas absoluta. ¹⁸⁴ scil. ut inclinet.

quid acquisitum per talia opera. Unde, II *Ethicorum*, ad generandum virtutes requiritur ultra medium agere, sicut virgam reflectere; sed hoc non est recta ratio, sed hoc facit inclinare delectabiliter ad opus eiusdem rationis¹⁸⁵. Similiter in vitiis.

138 Ad aliud¹⁸⁶: virtutes morales secundum species generum nec connectuntur.

139 Ad aliud, in oppositum¹⁸⁷: ut homo totus sit perfectus et tutus, connectitur similiter – secundum eum – respectu prudentiae.

140 Ad Augustinum¹⁸⁸: sunt virtutes aequales secundum geometricam proportionem¹⁸⁹, id est 'pares in virtute una' sic sunt pares in virtute alia, scilicet sicut una virtus mea ad tuam, sic alia ad aliam, – et hoc non tantum ut recta, sed etiam ut virtus et habitus est; sed si prudentia mea aequalis est tuae vel maior, temperantia mea – secundum hoc – habet maius vel aequale ad 'mensuratum a prudentia mea' quam tua.

141 Dices: si est iustus et intemperatus, igitur est virtuosus et vitiosus!

142 Dico quod quae respiciunt ex ratione sua diversā, nisi determinantur circa idem, non sunt opposita, sicut patet in quaestione 'De dolore Christi'¹⁹⁰; sic scientia geometriae stat cum ignorantia musicae.

143 Et si arguitur 'igitur simul est ignorans et sciens', – verum est in particularibus scientiis; similiter est hic de vitioso et virtuoso.

MB

835 Dicit MB 841 in om. MB.

F 820 ARISTOT., *Eth. Nic.* II c. 9 (AL XXVI³ 177; B c. 9, 1109a 30-1109b 7): «Oportet coniectantem medium, primum quidem recedere a magis contrario... In contrarium autem nos ipsos attrahere oportet: multum enim abducentes a peccando, in medium veniemus, – quod tortuosa lignorum dirigentes faciunt». 827 Ibid. c. 17 (p. 270; c. 13, 1144b 31): «Non possibile [est] benum esse [hominem] principaliter sine prudentia». 835 HENRICUS GAND., *Quodl.* V q. 17 in corp. (f. 189V): «Dicit Gregorius XXII *Moralium* cap. 1 [n. 2 (CCL 143A, 1092; PL 76, 211)]: 'Quisquis virtute aliqua pollere creditur, tunc veraciter pollet cum vitiis ex alia parte non subiacet, nam si ex alio vitiis subiacet, nec hoc est solidum ubi stare putabatur'... Una virtus sine alia, vel nulla est omnino vel minima... Commentator super principium VI *Ethicorum*: 'Non existente temperantia, qualiter erit iustitia?' [Eustratius, *In Eth. ad Nic.* VI c. 2 (cod. Vat. lat. 2171, f. 100va)]».

T ¹⁸⁵ Cf. ARISTOT., *Eth. Nic.* I c. 11 (AL XXVI³ 153; A c. 9, 1099a 21): «Secundum se ipsas utique erunt 'secundum virtutem operationes' delectabiles». ¹⁸⁶ Cf. supra n. 7. ¹⁸⁷ Cf. supra n. 8. ¹⁸⁸ Cf. supra n. 9. ¹⁸⁹ Cf. HENRICUS GAND., *Quodl.* V q. 17 in corp. (f. 192S). ¹⁹⁰ Cf. DUNS SCOTUS, *Lectura* III d. 15 n. 37-42 (XX 370-372)

[DISTICTIO TRIGESIMA SEPTIMA]

QUAESTIO UNICA

UTRUM OMNIA PRAECEPTA SINT DE LEGE NATURAE]

Quaeritur utrum omnia praecepta¹ sint de lege naturae. 1

5 Quod non: 2

Rom. 7: *Concupiscentiam nesciebam* esse peccatum², nisi *Lex diceret* 'Non concupisces'; sed si esset de lege naturae, posset sciri naturaliter; igitur etc.

Item, lex naturae est in omni statu; non ita praecepta, quia non 3 sunt in statu innocentiae neque gloriae³. 10

Item, in lege naturae non videtur Deus dispensare posse, quia⁴ 4 habent rectitudinem suam ex principio necessario, – unde Deus non potest facere talem legem falsam; sed Deus dispensavit in praecepto homicidii, Gen. 22: 'Occide filium tuum', – et in praecepto 15 furti, Ex. 12: de Aegyptiis; igitur etc.

Sed contra: 5

In *Canone*, distinctione 9, Augustinus *Ad Casulanum*⁵.

MBK

9 non post praecepta K | ita] ista K 9-10 non sunt] nec K 10 neque] nec K 12 rectitudinem] rationem K | unde] ergo K 13 talem legem falsam] occidere filium K | Deus om. K | in] de K 14 Occide filium tuum] in multis locis Scripturae K 15 12] 22 MBK | igitur etc. om. K 16 Sed om. K 17 Casulanum] Cass. M Cassianum K Cassiodorum B

F 6 Rom. 7, 7: «Peccatum non cognovi nisi per legem, nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: 'Non concupisces' [Ex. 20, 17]». 14 Gen. 22, 1-2: «Tentavit Deus Abraham et dixit ad eum...: 'Tolle filium tuum... Isaac et vade in terram visionis atque ibi offeres eum in holocaustum'». 15 Ex. 12, 35-36: «Feceruntque filii Israel sicut praeceperat Moyses, et petierunt ab Aegyptiis vasa argentea et aurea vestemque plurimam. Dominus autem dedit gratiam populo coram Aegyptiis ut commodarent eis; et spoliaverunt Aegyptios». 17 GRATIANUS, *Decretum* pars 1 d. 9 c. 1 (CIC I 18): «Cum ergo naturali iure nihil

T ¹ subintellige: decalogi. ² Cf. LOMBARDUS, *In Epist. ad Rom.* 7, 7-8 (PL 191, 1416): «'Concupiscentiam nesciebam' vel peccatum esse vel tam grave, 'nisi lex diceret: Non concupisces'». ³ Pro primo argumento (n. 2) cf. BONAV., *Sent.* III d. 37 a. 1 q. 3 arg. 1 in opp. (III 818b-819a); pro secundo argumento (n. 3) cf. ibid. arg. 2-3 in opp. (III 819a). ⁴ supple: talia praecepta. ⁵ Loco «Casulanum» codices tradunt «Cassianum» vel «Cassiodorum». – In loco citato *Decreti* reapse allegatur Augustini *Epist. ad Casulanum* (PL 33,